

APPENDIX
AD SPECVLVM
CONIVGIORVM

PER EVNDEM FRATREM ALPHONSVM
à Vera Cruce, Ordinis Eremitarum Sancti Augustini,
sacrae paginae Doctorem, & Cathedaticum
Primum, Vniuersitatis Mexicanae
in nouo Orbe.

*Iuxta definita in sacro vniuersali Concilio Tridentino, circa matri-
monia clandestina.*

De consensu Superiorum.



MEDIOLANI,

Ex Officina Typographica quon. Pacifici Pontij.

M. D. XCIX.



2 400 40
Salfes
MADR

A P P E N D I X
A D S P E C V L V M
C O N I V G I O R V M

PER EVNDEM FRATREM ALPHONSVM
à Vera Cruce, Ordinis Eremitarum Sancti Augustini,
sacrae paginae Doctorem, & Cathedraicum
Primarium, Vniuersitatis Mexicanæ
in nouo Orbe.

*Iuxta definita in sacro vniuersali Concilio Tridentino, circa matri-
monia clandestina.*

De consensu Superiorum.



M E D I O L A N I,

Ex Officina Typographica quon. Pacifici Pontij.

M. D. X C I X.



Ad Lectorem pium .



V M retro à multis annorum centenarijs à viris , tum sanctis , tum & doctissimis , & Catholicæ fidei zelatoribus , vnice esset desideratum , circa clandestina matrimonia Ecclesiæ prouisum iri , ad euitanda , tot mala , & scandala , quæ in dies oriebantur ex furtiuis contractibus , in lucem exiuit , ex determinatione matura , Concilij sacrosancti vniuersalis Tridentini diffinitio . Atque statim animo concepi , nostro Speculo Coniugiorum , huiusmodi tam sancta , tanq; saluberrima decreta , suis locis inferere . Et iuxta prædiffinita mutanda , mutare , & in debitam formam redigere , vt antiquis , qui in vsu erāt (nobis superuenientibus) reiectis , in hoc vno speculo , quæ ad argumentum forent necessaria , omnia essent conscripta , & nonnulla dubia quæ a sapientibus merito , in controuersia sunt , simul enodarentur , idque diligentia qua potui , secundum mei ingenioli facultatem pertractaui : Et cum inferere iam prælo mandatis , sine totius operis , grandi mutatione fieri non posset : per modum Appendicis , in fine colligere , fuit consilium . Citato in articulo Speculi , loco Appendicis : & in Appendice , rursum articulum demonstrando , vt cuilibet facile sit , quæ desiderat , ex nouis decretis , inuenire . Atq; tam hæc , de nouo elaborata , quam illa , quæ retro ante censuræ Ecclesiæ Catholicæ summittimus , & iudicio melius sentientium . Vale , ex nostro Cœnobio Sancti Philippi , Mantuæ Carpentanorum , Kalendis Maij . Anno 1571 .

Reuerendissime in Christo Pater.

Perlegi primam & tertiam partem Speculi Coniugiorum Alphonfi à Vera Cruce impressi an. 1572. Compluti in Hispania; & nihil in legendo occurrit contra fidem catholicam, aut bonos mores; nihilq; quod lectorem offendere possit, existimo denique typis mandari posse cum Parochorum utilitate. Mediolani ad S. Fidelem. die 5. Aug. 1598.
Iulius Nigronus Soc. Iesu.

Secundam partem Speculi coniugiorum Alphonfi à Vera Cruce accurate euolui, in qua nihil catholicae doctrinae aduersum, aut bonis moribus repugnans offendi, immo omnia sana, docta, & ad pietatem eruditionemq; christianam promouendam valde accommodata. Mediolani à S. Alexandro 8. Idus Augusti 1598.

Don Iac. Ant. Carolus Clericus regularis S. Pauli.

Nos Fr. Deodatus Gentilis Genuen. S. Theol. Magister Inquisitor Gener. in Ciuit. & statu Mediol. viso testimonio per Praefatos admodum Reuer. Patres reddito de veritate & integritate catholicae doctrinae in hoc libro repertae, eundem approbamus una cum Appendice à nobis reuisa, & licentiam concedimus ut imprimi possit. Die 5. Aug. 1598.

Fr. Deodatus Inquisitor qui supra manu propria.

Alexander Moneta subscripsit pro Illustriss. Archiepiscopo.

Imprimatur Marchesonius.

S V M M A R I V M

D V B I A,

Q V A E I N A P P E N D I C E
disputantur.



- D** R I M V M Dubium, utrum parochus sic sit necessarius, ad matrimonium, quod eo absente, sit irritum & nullum. fo. 2.
- Secundum dubium, an Parochus sic teneatur interrogare de impedimentis, ut peccet omitendo. 3.
- Tertium dubium, an Parochus teneatur intelligere mutuum consensum viri, & feminae. fol. 6.
- Quartum dubium, an necessario à Parocho debent proferri, verba expressa in Concilio, ego vos coniungo, &c. 9.
- Quintum dubium, an praesentia Parochi in matrimonio, sit necessaria de necessitate praeccepti, vel de necessitate sacramenti. 12.
- Sextum dubium, quomodo testes sint requisiti ad matrimonium, & qui sunt sufficientes, & qui repelli debent. 17.
- Septimum dubium, an infames alii, possint esse testes in matrimonio contrahendo. 19.
- Octauum dubium, an contrahentes sine proprio sacerdote, & testibus, sint censendi simpliciter inhabiles ad contrahendum. 22.
- Nonum dubium, an si quis clam alicui dedit fidem, de matrimonio seu promissit, teneatur sub mortali adimplere. 24.
- Decimum dubium, an in aliquo casu, clandestinum matrimonium possit esse validum, per secretum mutuum consensum. 27.
- Vndecimum dubium, an clandestine contrahentes, sine sacerdote proprio, & testibus, sint ipso facto excommunicati. 31.
- Duodecimum dubium, an sub praeccepto teneatur Parochus, habere librum in quo describat eos, qui copulantur in ma- tri-

Matrimonio, & testes, & diem
&c. 35.

Decimumtertium dubium, an
sub precepto teneantur, ad
confessionem peccatorum illi,
qui volunt coniungi in matri-
monio. 37.

Decimumquartum dubium, an
decretum sancti Concilij Tri-
dentini, de clandestino matri-
monio statim habuerit, vim
obligandi. 41.

Decognitione spirituali quæ sunt
diffinita, a sancta Synodo Tri-
dentina, & quæ restricta. 44.

Quomodo publica honestas,
cum olim fuerit impedi-
mentum, tam latè se exten-
dens, modo, sit coarctatum.
46.

Circa impedimentum raptus,
multa consideratione digna,
quæ modo in sancto Concilio
ordinata. 49.

Circa illos qui vagi sunt, & pro-
prium non habent domicilium
quomodo debent iungi in ma-
trimonio, & qualem peculia-
rem diligentiam tenentur ad-
hibere ministri, ante coniun-
ctionem, & qui sunt qui di-
cuntur vagi homines, & mul-
ta alia. 52.

An religiosi, in nouo orbe possint
vagos homines, in matrimo-

nio copulare, sine expressa li-
centia ordinarij, maxime ip-
so contradicente. 54.

Quod nullus cuiuscunque sit con-
ditionis, vel fortuna possit,
vel subditum, vel alium quem-
que cogere, ad matrimonium
directè, vel indirectè. 56.

Quid importet anathema, an
sit idem quod excommunica-
tio, & idem anathematiza-
re, quod excommunicare.
ibidem.

In quo tempore nuptia celebrari
possunt, & solemniter benedi-
dici, nunc in Concilio Tridentino
restricta, & diffinita. 59.

Qualiter in dispensationibus,
quæ fiunt a Summo Pontifice,
in gradibus consanguinitatis,
vel affinitatis ad matrimo-
nium contrahendum sufficiat,
quod mentio fiat expressa de
gradu distantiori, quia gra-
dus magis distans, trahit ad
se minus distantem. 60.

In dispensationibus in gradu af-
finitatis, vel consanguinita-
tis quando est facta dispensa-
tio in gradu magis distante re-
quisita est declaratio gradus
minus distantis. ibidem.

An qui post votum simplex petit
in matrimonio alicui coniun-
gi, supposito, nil sit, quod ob-
stet

stet sit audiendus a Parocho,
cum ei constet esse mortale,
etiam si matrimonium contra-
ctum teneat, hoc dubium la-
tè disputatur. 61.

Quod non sit aliquis ad matri-
monium cogendus directè, nec
indirectè, quod diffinitum est
in sancta Synodo, latè dispu-
tatur, quomodo sit intelligen-
dum, an de coactione, ex quo-
cunque metu, etiam leui lo-
quatur, vel debeat intelligi
de metu cadenti inconstantem
virum, iuxta illa, quæ olim
in iure sunt determinata. 67.

Disputatur ibidem, an coactio
quando se tenet ex parte mi-
nistri, vel ex parte testium,
ita præstet impedimentum, si-
cut si se teneat ex parte illo-
rum, qui debent in matrimo-
nio conuenire. ibidem.

An modo post Concilium Triden-
tinum, sit licitum clam con-
trahere matrimonium de fu-
turo, vel de presenti, & an
talis promissio vim haberet,
& promittens teneatur adim-
plere, quando sub conditio-
ne, si Papa dispenset in impe-
dimento siue sit inter affines,
siue inter consanguineos. 69.

Quomodo ex aliqua iusta causa
licet contrahere, ubi est im-

pedimentum, sub conditione,
si Papa dispenset. 70.

Quomodo dispensatio fiat, & tu-
tus sit, in conscientia dispen-
sans, & ille cum quo facta est
dispensatio. 72.

An qui post votum simplex ca-
stitatis, matrimonium con-
sumat, mortaliter peccet, &
exigere non possit. 74.

An petenti debitum post votum
simplex, teneatur alter con-
iugum reddere, sciens quod
petens mortaliter peccat. pe-
tendo disputatur dubium latè.
Et probatur, quod tenetur
reddere, non obstante peccet
mortaliter, qui petit. 75. &
76.

Impedimentum quod oritur ex
matrimonio rato non confir-
mato, & dicitur publica ho-
nestas, & affinitas vocari po-
test, & quare hoc. 76.

An hoc impedimentum quod ori-
tur ex matrimonio rato non
consumato, sit restrictum, per
Concilium Tridentinum, si-
cut restrictio facta est, in im-
pedimento publicè honestatis.
78.

Ponitur ad literam privilegiū
Leonis 10. concessum in fa-
uorem ministrorum, qui ad
terras infidelium proficiebantur,

Summarium!

tur, ob conuersionem eorum ad fidem, maximè pro illis, qui ad nouum orbem.

Ponitur similiter amplissima potestas data ab Adriano Sexto, Pontifice Summo, pro conuertendis infidelibus indigenis noui orbis, ad instantiam Potentissimi Imperatoris Caroli V. Etiam, sequitur, ultimo loco confirmatio prædictarum gratiarum facta, per Summum Pontifex Pium Quintum, ad petitionem Regis Catholici Phi-

lippi Secundi, post Concilium Tridentinum, in fauorem religiosorum mendicantium, & non mendicantium, qui conuersioni Indorum, intendunt, & subsequitur Regium mandatum literis suo nomine consignatis, ut publicè solemni-ter, sub voce præconis, in omnibus populis per uniuersum nouum orbem priuilegi Summi Pontificis Pij V. fiat promulgatio.

F I N I S.

A P P E N D I X A D S P E C V L V M C O N I V G I O R V M,

VBI OMNIA QUÆ IN SACROSANCTO Concilio Tridentino sunt variata proponuntur, ut nullus ignorare valeat, quæ de nouo ab Ecclesia Catholica, circa matrimonium, & in quantum sacramentum, & in quantum contractus seruari debent,

CIRCA CLANDESTINVM MATRIMONIUM aliqua dubia.

Primo supposito decreto nouo de clandestino matrimonio, nunc diebus nostris publicato in Concilio Tridentino, Sessione 24. in decreto reformationis.

C A P. P R I M O.



ST notandum iuxta Concilij verba, clandestinum dupliciter accipi posse: primo ut illud clandestinum dicatur, quòd sine sacerdote, ministro, & saltem duobus testibus fit.

¶ Secundum clandestinum vocetur: quando fit sine publicationibus seu bannis præcedentibus: quantumuis fiat præsentè Parocho, & coram testibus. Nam de vtroque mentio fit in decreto licet non eodem modo.

¶ Secundo etiam aduertendum venit, quòd de aliquo prohibito, duplex est consideratio. Vno modo quòd sit prohibitum, ut etiam si fiat habeatur pro infecto: & nullo modo teneat. Alio modo, ut sic sit prohibitum, quòd dato fiat male contra prohibitionem: factum tamen teneat. Exempla sunt clara in materia de qua sermo est. Prohibitum est post votum simplex castitatis matrimonium contrahere; verum & si sic contrahens mortaliter peccet, matrimonium tamen validum est. Et similiter est interdictum incestuoso cum affinibus, matrimonio obligari, verum post factum tenet. Et tandem hoc est manifestum in omnibus impedimentis, quæ licet prohibeant contrahere, contractum tamen non dissolunt. Ut late dictum est in opere. Alia est prohibitio quæ tanti

A

momenti

Appendix ad illa quæ in arti. 10. & 11. de clandestino matrimonio dicta sunt in 1. par.

INT. 250

1. 1. 1. 1. 1.

1. no.

1. 1. 1. 1. 1.

2. no.

1. 1. 1. 1. 1.

g. sicut & c. inter. & c. de illis, de spōsalibus. l. 1. 14. tit. 2. p. 4. Co. uar. in 2. p. epito. 4. cap. 6.

cap. nō de-
ber de cō-
sanguinit.
& affin. S.
Tho. in 4.
d. 40. ar. 4.

momenti est, vt non solum interdicat, sed factum etiam dissoluat. Vt inter consanguineos, & affines, intra quartum gradum, matrimonium est interdictum: neque potest quis ducere post mortem viri proprii, eam quam polluit per adulterium, & promisit se ducturum. Et sic prohibetur, quod si quis contra attentat facere non solum peccat mortaliter: sed etiam matrimonium est nullum. Idem de omnibus illis impedimentis, quæ impediunt contrahendum & dirimunt contractum, vt latè dispicitur in 1. parte per plures articulos.

Determinatio concilij cano. 4. in sess. 24.

¶ Hic etiam supponendum est vnum, ecclesiam posse iure suo vtentem clādestina matrimonia sic irritare, vt penitus nulla esse diffiniat occulte celebrata: & consequenter sicut olim cum ab ecclesia prohibita essent, vt constat ex titulo de clandestina desponsatione ex Euaristo Papa: non tamen irrita erant: sed legitima reputabantur, quamuis contrahentes sic grauiter peccassent: modo post diffinitionē concilij, sic sunt verita, & prohibita, vt sint irrita, & nulla ob id clandestine contrahentes tam inhabiles reputantur ad contrahendum, sicut consanguinei, & affines in 4. gradu. Omnia hæc sunt velut præambula certa ab omnibus absque controuersia recepta. huiusmodi in communi sic notatis est dubium.

Cōd. Trid. sess. 24. c. 1.

P R I M U M D U B I U M .

Dubiū 1. **V**trum sic sit parochus, necessarius post concilij diffinitionem, vt eo deficiente sit contractus nullus. Et videtur quod non, quia si aliqui contraxerunt publice, inter quos erat impedimentum affinitatis, coram parochus & testibus, post obtenta dispensatione possunt secrete ambo consentire: & est verum & ratum matrimonium. Et non pro tempore quo à principio fuit contractus celebratus: ergo erit pro tempore quo post dispensationem aduenit mutus consensus. Sed tunc non adest parochus: ergo non est præsentia eius necessaria.

¶ In contrarium est, quia sunt verba expressa concilij.

Nota. **P**ro decisione Dubij aduertendum quod in huiusmodi decreto aliqua sunt quæ tangunt contrahentes, & alia sunt quæ spectant ad Parochum, & sunt ei necessaria. Ex parte contrahentium, primum requisitum est, vt per contritionem se præparent ad recipiendum sacramentum: & datur salubre consilium, vt per confessionem secretam se disponant.

¶ Secundum requisitum ex parte contrahentium est. Vt consensum mutuo exprimant, vt tam Parochus, quam testes, testimonium perhibere possint de expressione.

¶ Tertium est, vt proprium sacerdotem inquirant contrahentes: & testes adhi-

adhibeant, qui testimonium ferre possint iuridice de contracto matrimonio. Illis qui hæc non feruant, non est pœna à concilio taxata: sed in arbitrio ordinarij posita est. Vt maiorem, vel minorem imponat pœnam, iuxta culpæ grauitatem, in transgressione decreti.

¶ Quartum quod non habitent simul coniugati, antequam suscipiant benedictionem, de quibus specialis erit sermo in sequentibus.

Ex parte Parochi requisitum est, quod tribus continuis diebus festiuis, in ecclesia inter missarum solemnias: publice denuntiet de matrimonio contrahendo, & de impedimentis inquirat.

¶ Secundum, quod interroget Parochus, virum & mulierum de consensu: & sic procedatur ad matrimonium.

¶ Tertium, quod Parochus intelligat consensum mutuum, vtriusque.

¶ Quartum, vt intellecto consensu, dicat ego vos in matrimonium coniungo. In nomine patris, & filij, &c. Vel vtatur alijs verbis: iuxta ritum receptum in illa prouincia vbi celebratur matrimonium.

¶ Quintum, quod si ob suspicionem, quod malitiose matrimonium celebrandum impeditur, si publica & solemnitas fiat denunciatio per tres dies festiuis: poterit sola vna denunciazione facta Parochus, cum duobus vel tribus testibus matrimonium celebrare.

¶ Sextum Parochus hoc arbitrante ante consummationē matrimonij, teneatur, idem Parochus alias facere denunciations omiffas: vt si quod est impedimentum detegatur. Nisi ordinarius iudicauerit omnino prætermittendas.

¶ Septimum, quod parochus librum habeat, in quo contrahentium, nomina, & testium, & locus tempusque scribantur, quem diligenter apud se custodiat.

¶ Octauum sub pœna suspensionis interdicitur cuilibet sacerdoti siue sit regularis vel non, sine licentia proprii Parochi, aliquem de parochia alterius benedicere vel coniungere in matrimonio.

¶ Omnibus ordinarijs sancta synodus præcepit, vt decretum hoc in singulis suæ diœcesis ecclesijs publicetur in primo anno à constitutione semel tandem: & post, quoties visum fuerit. Et in vnaquaque parochia, a trigesimo die post publicationem, ibidem factam, habeat robur tale decretum. Hæc ex decreto.

¶ Ab illis quæ ex parte parochi sunt requisita incipientes.

Primo ergo dubitatur, an teneatur parochus, inquirere de impedimentis illorum qui contrahere volunt, & sub qua pœna. Et an sufficiat publice, inter missarum solemnias denunciare: an teneatur adhuc maiorem indaginem facere.

¶ Et videtur quod non teneatur amplius parochus. Patet quia id esset

ratione statuti concilij, sed concilium solum dicit, quod inter missarum solemniam, fiat denunciatio.

1. Propositio S. Tho.
3. P. q. 67.
art. 8.

¶ Respondetur, parochus tenetur sub mortali peccato, indaginem facere de impedimentis matrimonij. Patet quilibet tenetur illa facere quæ de directo spectant ad officium suum: sed inquirere de impedimentis in matrimonio contrahendo, ad officium Parochi spectat. Ergo tenetur inquirere seu indaginem facere. Maior est nota, & minor similiter, quia quæ sunt impedimenta ad contrahendum, non tenetur secularis scire. Alias eos grauitur peccare qui iuris impedimenta ignorant diceremus: quod nullus dicit. Non enim tenetur plebeius homo qui habens aetatem, vxorem potest sibi in matrimonio copulare scire, quæ sunt quæ impediunt matrimonium contrahere: & irritant contractum, qui sunt gradus affinitatis, & consanguinitatis, etiam cognationis spiritualis. Et crimen adulterij, & vxoricidij, & alia huiusmodi, & similiter neque tenetur scire, quæ sunt impedimenta: quæ licet prohibeant contrahendum, non tamen dirimunt contractum, quæ sunt multa. Sed tamen cum necessario sit ea non ignorare, & ad scientiam horum contrahentes non obligamus, necessarium est, quod obligatio maneat penes ministerium Parochum, qui ex officio habet habiles ad contrahendum, coniungere posse.

¶ Sed quod sub mortali teneatur patet. Quia ignorantia huiusmodi impedimentorum est de re graui. Et vbi maximum periculum est, scilicet coniungere in matrimonio, qui alias inhabiles sunt, Et loco coniugatorum, concubinarios, vel incestuosos constituere, &c. Res enim maximi momenti est.

¶ Dixi parochum teneri ad indaginem, de impedimento inter contrahentes, pro quo sit.

2. Propositio

¶ Secunda propositio. Inquisitionem de impedimentis facere parochus sic tenetur, vt vel per publicationem inter missarum solemniam, vel alia via habeatur notitia necessaria. Patet quia necessaria est impedimentorum cognitio, & indago. Nam si non alias habere posset nisi per publicationem in die festo, nunquam posset fieri dispensatio in tali publicatione, quia de re necessaria sine qua non contingit licite contractum celebrari, non posset esse omisio, neque dispensatio. Sed de tali publicatione inter missarum solemniam, vt patet ex expressis verbis concilij sit licite omisio, ad arbitrium ordinarij. Vbi sunt hæc verba quod denunciations fiat ante consummationem nisi ordinarius ipse expedire iudicauerit, vt prædictæ denunciations remittantur. Ergo sequitur quod sufficit, vt notitia habeatur alia via quam per publicationem.

¶ Et probatur, quando medium est propter finem habito fine, non est necessarium adhibere medium ad finem, nisi alias habeat medium in se causam, quare poni debeat in executione. Sed finis intentus est cognoscere impedimentum, si quod est inter coniungendos: si ergo habeatur cognitio

cognitio non erit necessarium hoc fiat per publicationem inter missarum solemniam. Dixi nisi alias medium habeat in se rationem, &c. pro quo sit.

¶ Tertia propositio, huiusmodi publicationes, quas parochus tenetur inter missarum solemniam facere, licet ex aliqua causa possit Parochus vtens iure suo remittere, ante coniunctionem, & matrimonij celebrationem, tenetur tamen, ante consummationem matrimonij per tres dies festinos publicationem facere. Patet; quia sic in concilio expressum est. Vt si contingat prætermitti, quia quis malitiose impedire conatur matrimonium, post fiant ante consummationem matrimonij tales publicationes.

3. Propositio.

¶ Quarta propositio, Parochus ex libito suo si suspitio non sit de impediendo matrimonium non potest omittere licite huiusmodi trinam publicationem, in diebus testis ante coniunctionem matrimonij. Volo dicere quod etiam si Parochus habeat in mente post coniunctionem matrimonij, ante consummationem, tres habere publicationes, non potest licite coniungere etiam coram testibus cum vna sola precedente publicatione, vbi nulla suspitio interuenit. Patet ex verbis expressis concilij. Nam ibi datur Parochus, vt ante trinam admonitionem publicam, possit matrimonium celebrare, cum vna, vel altera publicatione præuia solum, quando suspitio est de matrimonio malitiose impediendo. Ergo quando nulla talis est suspitio, ad litteram seruandus tenor concilij, vt expressa verba sonant.

4. Propositio.

¶ Quinta propositio, & si Parochus pro libito non possit ante trinam publicationem præuiam, aliquos coniungere: videtur quod si aliquam omittat ex tribus, vel ante coniunctionem, vel ante consummationem, etiã vbi nulla suspitio est mali quod non peccet mortaliter de se, scandalo escluso.

5. Propositio.

¶ Probatur prima pars, quod non possit licite, vt in quarta propositio- ne probatum est. Quia est obuiare dictis concilij; sed secunda pars, restat probanda, quod id mortale non sit, aliquam ex tribus publicis admonitionibus omittere. Primo, quia res non est ita grauis, neque quod ter fiant, magis præstat ad matrimonium, quam si bis solum, vel semel: dummodo constet de impedimentis. Quia neque est in iacturam matrimonij, in quantum contractus est: neque in quantum sacramentum, nam in quantum sacramentum nulla talis admonitio requisita, & in quantum contractus ad id sunt tres admonitiones positæ, vt constet de impedimentis. Si ergo ex vna admonitione, vel altera constat, tertiam prætermittere, lethale non est; item si id mortale esset, prætermittere aliquã ex publicis admonitionibus, solum esset ex eo, quod non seruantur quæ in concilio expressa sunt, Sed non ob hoc mortale est transgredi, quia non omnia quæ traduntur in concilijs, vel determinationibus Pontificum, sunt æqualis ponderis, quo ad præceptum sub mortali, quia aliqua obligant

obligant sub mortali, aliqua quæ leuia, sub veniali, vt est in multis videre quale est hoc de quo sermo est, non est, opus exempla adducere cum sint multa.

6. Proposi. ¶ Sexta propositio, ad arbitrium ordinarij possunt publicationes publice inter missarum solemniam relinqui: siue sit aliqua suspitio, vel non, hæc patent in decreto concilij, nam postquam dixerat, huiusmodi publicationes per Parochum faciendas, ante consummationem, &c. Infert, nisi ordinarius ipse expedire iudicauerit, vt prædictæ denunciationes remittantur, quod illius prudentiæ, & iudicio, sancta Synodus relinquit.

¶ Ex quo apparet, ex verbis expressis in concilio, quod Episcopus in admonitionibus, ante coniunctionem matrimonij dispensare possit, quod tamen Parocho interdictum est. Et quod dicimus de ordinario, seu Episcopo, idem dicendum de officiali suo, quem Prouisorem vocamus, quia idem est tribunal, & quod officialis Episcopi facit, dicitur ipse Episcopus facere, & id constat ex iuris regula, non tamen esset idem de alijs vicarijs qui officiales Episcopi non sunt, & ad particulares causas, habent auctoritatem ab Episcopo: quia istorum & Episcopi non est idem tribunal, vt nos alibi latius. ad argumentum in principio positum solutio ex dictis patet.

¶ *Secundum dubium est, circa id quod parochus interroget virum & feminam, de consensu præstando.*

2. dubium. **D**ubitatur an hoc sit necessarium, ita vt omittens Parochus peccet. Et videtur quod non sit necessarium. nam interrogatio, ad id fit, vt expriment coniugandi consensum, sed absque Parochi interrogatione, id constare potest, vt patet in illis qui expriment consensum, ante interrogationem. & patet etiã de illis, si essent surdi qui penitus non audirẽt.

¶ *In contrarium est, quia concilium dicit.*

Nota. **E**st notandum, quod a Parocho interrogatio, dupliciter potest esse, vel ad cognoscendum de impedimento, an sit aliquod inter matrimonio copulandos, vel super consensum exprimendum.

1. Proposi. ¶ Prima propositio interrogare virum & feminam, est necessarium Parocho, circa impedimenta, si sit aliquod, &c. Quia est necessarium, vt 2. Th. 3. r. q. 67. ar. 8. Parochus debite exequatur suum ministerium, sed exequi non potest debite nisi interroget, ergo tenetur interrogare. Maior est manifesta, & minor probatur cum necessarium sit prius admonitiones publicas fieri, inter missarum solemniam, vt in præcedenti dubio est diffinitum. Et grauius peccaret Parochus, non interrogans, &c.

2. Propositio. ¶ Secunda propositio. Parochus omittens ex proposito huiusmodi interrogatio-

terrogationem de impedimentis, si alias ei compertissimum non esset, peccat mortaliter. Hæc patet, quia facit contra mandatum concilij, & in re grauissima. Item quia exponit se periculo coniungendi in matrimonio eos, qui essent in concubinato, quia ob impedimenta matrimonium stare non potest. Et alia plura in conuenientia sequuntur.

¶ Dixi nisi alias parochus constet. Nam ante tempus illud coniunctionis in matrimonio, posset esse exploratum ministro, tales nubere volentes, nullum habere impedimentum. Tunc interrogatio necessaria non esset.

¶ Tertia propositio. Parochus nubentes interrogare debet de consensu ad inuicem. An scilicet vir, feminam velit habere in uxorem, & femina virum velit habere in maritum. Patet propositio ex verbis concilij, vbi iniunctum est parochus, vt coniungendos interroget, vt cognito consensu &c. Vbi expresse videtur sentire. Quod debeat interrogare, de consensu, vt ei sit cognitus consensus vtriusque.

¶ Quarta propositio, dummodo a parochus sit cognitus mutus consensus vtriusque huiusmodi interrogationem omittere, veniale solum videtur. Patet, quia interrogatio eo necessario debet præcedere, vt constet de consensu. Si ergo ea seclusa constat, graue non est omittere: quia nulli iniura fit, nullum est periculum, & sic mortale non apparet.

¶ Sed quid, vbi interrogatio fieri non potest per parochum, quia linguam, seu idioma proprium ignorat illorum qui coniungi debent, vt frequentissimum in nouo orbe est?

¶ Quinta propositio. Interrogatio de impedimentis, & illa quæ ad exprimendum consensum, a parochus fieri debet, per interpretem sufficit, si parochus idioma proprium nescit. Probatur in sacramento penitentia vbi res tam grauis, & vbi tam graue sigillum secreti requiritur, per interpretem licite fiunt interrogationes, & iuxta responsum etiam intellectam per interpretem, sequitur absolutio sacramentalis, & vere tenet sacramentum, in foro interiori, & exteriori, vt constat, ergo a fortiori, interrogationes quæ sunt non de essentia sacramenti matrimonij, sed præambula quædam, & dispositiones, sufficientes erunt per interpretem. Hæc sunt apud omnes compertissima, & omnium doctorum calculo probata. Et in praxi in nouo orbe, ob raritatem illorum, qui idioma proprium Indorum sciunt, frequentissima: nam admonitiones, publicationes, de impedimentis interrogationes, & de mutuo consensu, sæpe per interpretem linguam Indorum scientem, & nostram Hispanicam fit.

¶ Ad argumentum in contrarium, patet solutio ex dictis.

TERTIVM DVBIVM.

Tertio dubitatur, circa id quod dicitur intellecto consensu, &c. Queritur inquam, de qua intellectione intelligat, & quidem certum

3. Propositio.

4. Propositio.

5. Propositio.

S. Tho. in 4. d. 17. q. 3. art. 4. q. 3. & quo lib. 1. q. 6. Couar. 2. epit. c. 4.

3. dubium.

Theologi
in 4. d. 28.
abulē. su-
per Gene.
29. q. 11.
Vuald. de
sacramen-
tis. c. 132.

1. Propo-
sitiō.

2. Propo-
sitiō.

3. Propo-
sitiō.

8. Tho. in
4. d. 17.

Conarru.
in 2. p. epi.
c. 4.
Corola.

tum est Sanctum Concilium, non loqui de intellectu interiori, an intus mutus sit consensus coniugatorum. Quia inscrutabile est cor hominis, & soli Deo cognitum est, quid intus in corde. Neque ecclesie iudicium est de directo in occulta. Et sic patres in presentis decreto, cuius declarationem tradere conamur, explicuerunt. Restat ergo, ut de intellectu seu cognitione sit sermo, de qua exterius constare potest, & cuius homo testimonium prestare potest. An sufficiat intelligere per signa, vel per verba in aliena lingua per interpretem declarata, an sit requisitum ut proprijs verbis, Parochus intelligat.

¶ Prima propositio. Parochus tenetur intelligere expressum mutuum consensum viri, & femine; probatur. Quia ad ministrum spectat materiam, & formam necessariam in sacramentis, intelligere, sed mutus viri & femine consensus, vel materia sunt sacramenti matrimonij, vel materia & forma simul; Ut vnus qui precessit consensus, sit velut materia, & alterius qui sequitur, sit velut forma, ut probati theologi affirmant.

¶ Secunda propositio. Parochus, licet consensum mutuum non intelligat, proprijs & expressis verbis viri, & femine, sufficit si per signa id intelligat. Patet quia Parochi munus est, & ei preceptum, ut consensum intelligat. Sed per nutus & signa id deprehendere, cognoscere est, ergo sufficit. Et sic in iure est definitum cap. cum autem de sponsalibus, & Inno. in cap. tuæ fraternitatis, eodem tit. Non enim sunt verba in contrahentibus necessaria necessitate sacramenti, quia signa sufficiunt, sed sunt necessaria necessitate precepti. Alias qui muti sunt, non possent ad inuicem contrahere, eo quod exprimere verbis consensum non valent. Quod tamen in falsitate compertum est. Adde, quia cognoscere consensum more humano preceptum est, sed per signa, & nutus, more humano cognoscere dicimus æque bene, sicut si verbis. Sequitur quod sufficit talis cognitio:

¶ Tertia propositio, si parochus proprium idioma viri & femine ignoret: expressum consensum per interpretem cognoscere, sufficiens est. Hæc probatur, sicut in precedenti dubio declaratum est. Quia per interpretem cognoscere sufficiens est, in sacramento penitentiae, & vera cognitio, & sufficiens ea dicitur, ad absoluendum reum, vel condemnandum. Et est in usu in Ecclesia catholica. Erit ergo sufficiens in contractu matrimonij, ut vere parochus, qui per interpretem, intelligit viri & femine mutuum consensum, cognoscere dicatur.

¶ Ex quo sequitur quod in nouo orbe, ex hac parte, ministri huius sacramenti matrimonij, qui idioma proprium indigenarum ignorant, & per interpretem hæc administrant, sufficienter exequi munus suum, quantum possunt, neque Concilio sancto Tridentino contrahere. Alias gravissime peccarent plures, id administrando frequentissime per interpretem, quem secum ducunt, & habent, inter neophytos sacramenta administrando.

ministrando. Nam inter regulares ordinum mendicantium, fere omnes ministri optime callent linguam Indorum, & per se ipsos faciunt. Sed tamen ex clericis non regularibus, vnus atque alter est, qui potest per se ipsum, verum quia melius fit per se ipsos, intelligere debent diligentiam adhibere ut linguam non ignorent, vel locum relinquat, illis qui interprete non indigent, ad parochi debitum officium.

¶ Ad argumentum in contrarium, ex dictis solutio constat sufficit minister intelligat consensum more hominum. Siue fit per se, vel per interpretem, si alio modo non potest, & fit, per verba expressa, vel per signa, quæ vicem habent verborum.

¶ Hic vnum aduertendum, quod & si iuxta præscripta in concilio, per procuratorem possit contrahi matrimonium, ut olim semper manet verum, quod minister est necessarius, & testes, & quod intelligat consensum, &c. Et quamuis non possit esse dubium de matrimonio, quando per procuratorem, manet tamen dubium, quando per literas fit, quamuis Silvester in verbo matrimonium, §. 12. non dubitet, neque Soto.

¶ Et ratio dubitandi est, quia per hoc quod quis legat literas ab alio missas, non est traditio, etiam si sit consensus; Vsq̄ue ad hoc quod literæ responsales ad alium perueniant. Quia sicut est sensibilis traditio, debet etiam esse sensibilis acceptatio, quæ non est vsque dum responsio literarum ad alium perueniat, & constat, &c. Secus quando per procuratorem, quia hæc iuridice fiunt, & constat, &c. Sed in alijs potest qui primo scripsit, reuocare consensum, & si superueniat affinitas, non potest stare matrimonium.

¶ Quartum Dubium in ordine est, circa illud quod in decreto dicitur.
Dicat, ego vos in matrimonio coniungo, &c.

Est dubium an hæc verba necessario debeant proferri a parochus, & sint vel de necessitate sacramenti, vel saltem de necessitate precepti. Et si per seipsum debet proferre, vel sufficiat per alium, & an per interpretem, debeant proferri, quando ipse ignorat proprii idioma.

¶ Primo videtur, quod verba sint de necessitate sacramenti. Patet quia ibi apposita sunt verba, a ministro proferenda in administratione huius sacramenti, quæ formæ vim retinent, sicut in alijs ecclesie sacramentis. Sed in alijs sacramentis, ut in baptismo, in penitentia, in sacramento Eucharistiae, sic verba ministri necessaria sunt, ut eis seclusis, nullum sit sacramentum. Sequitur similiter, quod in hoc sacramento matrimonij, si verba parochi non superueniant, ut concilium docet, quod nullum erit sacramentum.

¶ In contrarium videtur concilij Florentini determinatio, & pro Armenis instructio. Vbi cum de sacramento matrimonij fiat mentio, & de for-

B ma, &

Ad argu-
mentum in
contrariū.

4. Dubiū.

S. Tho. 3.
p. q. 66. ar.
5. & q. 78.

ma, & materia, non tamen fit mentio de verbis ministri.

¶ Pro solutione notandum, quod aliud est dicere, ut supra meminimus, aliquid esse in sacramentis de necessitate sacramenti absolutæ, & præcepti; aliud quod solum de necessitate præcepti. Exemplum est clarum in sacramento Eucharistiæ, ubi in forma illud verbum, enim, in consecratione panis, sic est necessarium, ut solum de præcepto sit. Et morale peccatum forte sit omittere, sacramentum tamen tenet, & vere consecratio est, illo verbo omisso, alijs seruatis, ut omnes tenent doctores.

S. Tho. 3.
P. q. 78. ar.
2.

1. conclu-
sio.

¶ Prima conclusio, verba posita in concilio proferenda a paroco, in matrimonij coniunctione, sunt de necessitate præcepti, ita ut omittens peccet. Probatur, quia ibi iniunctum est paroco, ut cognito consensu vtriusque verba proferat, ego vos in matrimonium coniungo, in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Quæ verba concilij præceptum declarant.

2. conclu-
sio.

¶ Secunda conclusio, sic verba sunt de necessitate præcepti seruanda a paroco, ut non sint verba supradicta, determinare, & in forma, sed sufficientiant vel supradicta, uel alia æquivalentia, iuxta ritum cuiuscunq; prouintia. Hæc patent, ex uerbis expressis in decreto concilij, nam secundum diuersitatem gentium, & prouinciarum, & particularium ecclesiarum diuersus ritus est in uerbis.

¶ Sed posset quis dubitare, de istis uerbis, an sint uera vel falsa, si uera, ergo efficiunt quod significant, & sic minister facit coniunctionem, & uerba sunt necessaria absolute. Si sunt falsa, ergo contra auctoritatem concilij.

¶ Respondetur, quod uerba sunt uera, & quamuis præcessit vinculum, tamen significat, quod minister coniungit in facie ecclesiæ, ut habeantur pro legitimis coniungibus sicut si excommunicatus esset absolutus secrete post absoluitur publice & forma est uera.

Qua dicitur quod absoluitur, etiam si sit absolutus, quia est sensus, quod absoluitur publice, ut habeatur ab omnibus, ut absolutus.

3. conclu-
sio.

¶ Tertia conclusio in sacramento matrimonij uerba parochi non sunt de essentia sacramenti necessaria. Probatur. Quia si essent necessaria, hoc esset vel ex antiquo iure, sicut & in alijs ecclesiæ sacramentis, vel esset ex nouo iure, scilicet ex decreto concilij. Sed ex nullo sunt requisita, Primo Ecclesia, id non instituit, nec ordinauit, quod tamen deberet, ibi, ubi mentionem facit de consensu, & expressione consensus, ut in cap. licet de sponsa duorum. Et in concilio Florentino, cum de sacramentis agit, quando in specie de matrimonio, solum ait causa efficiens regulariter matrimonij, est mutuus consensus per uerba de præsentibus expressus. Et nihil de uerbis ministri addit. Ergo uerba ministri necessaria non sunt. Et confirmatur ratio quia nullibi ante hoc Concilium Tridentinum, ad matrimonium, tanquam de necessitate eius, minister declaratus est, cum constet per iura plurima, legitimum, & ratum stare,

per

per mutuum consensum, etiam sine ministro olim. Quod est quid peculiare in matrimonio, cum in cæteris omnibus alijs Ecclesiæ sacramentis, minister de necessitate sit. Si ergo minister non est de necessitate sacramenti: ergo neque eius uerba erunt necessaria.

¶ Probatur, etiam quod neque iure nouo, & decreto Concilij Tridentini, uerba sunt necessaria de necessitate sacramenti. Quia maxime esset, eo quod ibi in decreto exprimitur, quod cognito consensu mutuo, parochus dicat illa uerba, &c. Sed hoc non probat, quod de necessitate sacramenti sint. Patet, quia ubi uerba ministri sunt necessaria. ponuntur certa, & non pro libito variari possunt. Sed ibidem dicitur, quod illa proferat, vel alia iuxta ritum cuiuslibet prouintia. Sequitur ergo quod si concilium iniungit uerba proferenda a paroco, quod illud non fuit de necessitate sacramenti. Nam si uerba ministri necessaria forent, haud dubie uelut forma essent, & consequenter determinata essent. Neque pro libito mutari possent, magis quam in alijs sacramentis. Et probatur, quia ut referunt, qui adfuerunt Concilio Tridentino, patribus proposita est hæc forma, ut necessaria sacramento, & tamen noluerunt admittere: quod probat intentum. Alias Deus deficeret in necessarijs ecclesiæ suæ, ex quo sequitur.

¶ Quarta conclusio, si parochus cognito consensu vtriusque in matrimonio: Nulla proferat uerba, dummodo sint testes, ut inferius dicemus, & peccet, non proferendo uerba ibidem expressa, uel alia secundum ritum prouintia, matrimonium tamen est validum. Patet. Matrimonium esset validum ante concilium, dummodo esset inter personas alias legitimas, & alia seruentur: ergo & modo post Concilium Tridentinum. Patet quia non est irritum hoc si non proferat, neque est declaratum tanquam de essentia sacramenti. Hæc sunt ex dictis clara ex quo etiam sequitur.

¶ Quinta conclusio. Parochus uerba (cognito consensu vtriusque) potest proferre, vel per seipsum, vel per interpretem, secundum ritum prouintia, sine aliquo peccato: & uere erit validum matrimonium. Patet, quia cum uerba parochi non sint necessaria de necessitate sacramenti, neque sint determinata, sicut per interpretem potest cognoscere consensum, & inquirere, poterit etiam uerba proferre. Hæc ex supradictis est manifesta.

¶ Sed potest esse dubium, si uerba determinata ministri necessaria non sunt quare necessarius est minister. Respondetur. 1. est necessarius, ut publico testimonio constet. 2. ut diligentia, & examen prius fiat de impedimentis. 3. ut instruantur nubentes a ministro, & debite disponantur ad receptionem sacramenti.

¶ Ad argumentum in contrarium, ex prædictis solutio constat: uerum esse in alijs sacramentis, uerba quæ vim formæ retinent, in ministro, esse necessaria. Sed tamen in hoc sacramento deficit. Quia minister ante

Glo. in c. tua nos de spōsalibus S. Th. in 4. sen. d. 26. q. 2. Soto. ibi. Coua. 2. p. epito. 4. c. prout in fine. S. Tho. 3. p. q. 60. ar. 7. & in 4. d. 14. Sot. in 4. d. 1. q. 10. art. 7. 20. scilicet. cōtra Luthe rum ueritate 9.

4. conclu-
sio.

5. conclu-
sio.

Gl. in c. ex litteris de sponsali. & 1. S. si ff. de uerbo. obli. ga. Pal. in 4. d. 27. q. 2. artic. 3. conclu. 3. Couarr. 2. p. 4. cap. 4. num. 3.

Ad argu-
mentum
-d. 1. Sot.
-d. 1. q. 10.

S. Th. 3. p. q. 60. ar. 6. & 7. Concilium Tridentinum de necessitate non erat. Vt dictum est, & inferius erit repetendum. Post decretum Concilij Triden. licet minister sit necessarius, de necessitate sacramenti, verba ministri non sic sunt necessaria, de sacramenti necessitate, sed solum de necessitate præcepti. Nec se habent ad modum formæ, in isto sacramento, & sic de forma in hoc sacramento varie loquuntur doctores, nam Capreolus, in 4. d. 26. ad 7. arg. Durandi, tenet, quod verba contrahentium, se habent sicut materia, & forma. ita vt prius dicta suppleant vicem materiæ: & 2. dicta, vbi perficitur matrimonium, habeant vicem formæ, sicut in binario, prima vnitas habet locum materiæ, & 2. vicem formæ. Quia per eam constat species binarij.

Vgo. lib. 2. de sacramentis p. 11. tit. 5. ¶ Palud. d. 26. q. 4. & Adrianus. 1. q. de matrimonio quod materia sunt ipsi contrahentes, & verba quæ explicant consensum, habent vicem formæ. Alij tenent quod materia est consensus, & forma, verba quæ exprimentur consensum. Sic magister sen. d. 26. c. penul. Verum hoc alijs non placet, quia materia debent esse sensibilis, consensus tamen non est sensibilis, nisi de expressione sit sermo. Item quia in Concil. Floren. determinatur, quod consensus sit causa efficiens matrimonij, sed causa efficiens materia esse non potest. S. Tho. in 4. d. 26. q. 2. art. 1. in solutione ad primum dicit, quod verba quibus consensus exprimitur habent vicem formæ.

Couar. in 2. p. epito. 4. c. 1. in fine. Tandem habetur ex doctoribus, quod verba ministri in matrimonio nõ habent vicem formæ, & ideo non sunt necessaria necessitate sacramenti. Vide Petrum de Soto in suo pastoralis, de matrimonio per multas lectiones.

¶ *Est & ad aliud dubium quintum circa illa verba decreti, vbi dicitur. Quod aliter quam presente parochio, & testibus duobus, vel tribus, matrimonium non celebretur.*

5. Dubiũ. **D**ubiũ est, ergo & quintum in ordine, an præsentia parochi sit necessaria de necessitate sacramenti, vel solum de necessitate præcepti. ¶ Videtur quod non sit necessaria ad sacramenta omnia ecclesiæ septem, & illa quæ de necessitate sunt, & de essentia eorum, à Christo instituta sunt, per potestatem excellentiæ quam habuit: quam & ecclesiæ non cõmunicauit. Sed ergo ante Concilij Tridentini determinationem fuit sacramentum matrimonij, vnum, ex 7. sacramentis sed ante Concilium Tridentinum, parochi presentia, imo neque alterius ministri in sacramento matrimonij non fuit necessaria: ergo neque modo erit post Concilium Tridentinum. Probatur antecedens, ex vsu ecclesiæ, vsque ad nostra tempora, & probatur ex multis Pontificum determinationibus. Et vltimo ex Concilio Florentino, in quo tradita est doctrina exacta Armenis, de omnibus ecclesiæ sacramentis: & quando de matrimonio sermo est,

est, cum omnia quæ necessario requiruntur, & sunt de essentia eius ponantur, de ministro mentio non fit: cum tamen in alijs sacramentis, sit de necessitate, Vt ibidem constat. Sequitur ergo quod in hoc sacramento minister non est necessarius. Et sic habet ecclesiæ diffinitio: quod per mutuum consensum viri, & femine, dummodo sint legitime personæ, vere perficitur matrimonium.

Petrus de Soto i suo pastoralis. de matrimonio, lectio 12.

¶ *In contrarium est determinatio Concilij Tridentini.*

Primo notandum est inter omnia ecclesiæ. 7. sacramenta alia 6. ab hoc septimo, quod matrimonij est, latissime differre. Nam, hoc peculiare in isto sacramento est, quod in nullo alio, etiam si sit sacramentum, est tamen quidam contractus inter homines, necessarius quidem in re publica humana, & generalis, ita vt genus humanum sine eo constare non posset. Et ex hoc habet, vt nonnulla, ecclesia circa hoc sacramentum instituat, reuocet, addat, tollat, ampliet: quæ tamen non in alijs sacramentis. Vt patet ex cap. non debet, de consanguinitate, & affinitate, cum prius esset prohibitum intra 7. gradum in consanguinitate, & affinitate contrahere: post tempore Inno. 3. solum vsque ad 4. gradum diffinitum est, & antequam esset statutus. 7. gradus, poterant in gradibus nõ prohibitis, lege naturali, & diuina, qui pauci sunt. Et cum post Inno. 3. intra 4. gradum non posset esse coniunctio, tam in cõsanguinitate, quam in affinitate: etiam copula illicita contracta; modo in Tridentino est variatio, vt dicemus; & cum matrimonium, olim per mutuum consensum inter legitimas personas, etiam secreto posset contrahi: & esset verum, legitimum & ratum: In Concilio Tridentino tanta est variatio facta, vt penitus irritum censeatur, vt patet, & in multis alijs, vt patebit infra; gradibus variatio facta est. Quod non posset stare, si matrimonium solum in quantum sacramentum nouæ legis est, consideratur. Sed tamen fit, & suo iure ecclesia faciens variat, eo quod contractus humanus. Et mirum non debet videri, vt in cap. citato ait summus Pontifex Inno. 3. vt variatis temporibus, etiam statuta variantur humana. Et grandem mutationem faciat, circa matrimonium contrahendum, & circa personas quæ debent coniungi, & circa modum.

1. nota.

libro 3. c. 1.

libro 3. c. 1.

C. sciendũ

29. d. c. q. 1.

l. c. 63.

dist. Coua.

in c. alma

mater de

sen. excõ.

2. p. i prin.

2. nota.

S. Th. 3. p.

q. 64.

¶ Etiam considerandum est, quod cum alijs sacramentis minister sit necessarius, penes quem sit aliqua actio, vel verbis, vel factis, quæ formæ vim videantur habere, quæ materiæ applicata sacramentum perficiat. (Si non auctores) non defuerunt disputatores, qui idem affirmarent de sacramento matrimonij; Vt auctor est Gulielmus Parisiensis, in suo de sacramentis, sed tamen ab omnibus reiectum est. Et differentia posita est, inter alia sacramenta & matrimonium: Ministrum ante hac non fuisse necessarium, exactissime ex Concilio Florentino, sub Eugenio. 4. celebrato,

Soto in 4. d. 26.

brato, constat. His præsuppositis ad dubium.

1. conclusio. ¶ Prima conclusio: Post Concilium Tridentinum in matrimonio, ad hoc quod sit ratum, validum & legitimum, de necessitate, minister requisitus est. Hæc probatur quia expresse in decreto habetur quod si non fiat præfente Parocho, vel alio sacerdote, &c. Sit irritum, & nullum. de hoc dubitandum non est, cum sint verba expressa in decreto.

¶ Secundo probatur, si modo in matrimonio minister requisitus non esset, eo esset quia olim ante hæc tempora nunquam minister fuit necessarius, vt adduximus. Sed hoc non obstat, quia sicut ecclesia mutauit, vt diximus gradus prohibitos, vt ex cap. citato patet, & alia multa, vt constat in iure, potuit modo mutare, & ministrum esse necessarium ad legitimum matrimonium, declarare. Sicut & declarauit & statuit, Iure suo vtens, & anathema indixit neganti in canone. 4. sessionis. 24.

2. conclusio. ¶ Secunda conclusio. Ad legitimum matrimonium, sic minister sacerdos est requisitus, vt non quicumque sufficiat, sed opus sit proprius Parochus. Probatur, quia sic definitum est in concilio, vt non nisi proprio Parocho præfente fiat.

3. conclusio. ¶ Tertia conclusio. Præfente alio sacerdote, si non sit de licentia proprii Parochi, matrimonium contractum irritum est, in tantum vt nullo pacto sit locus rati habitiois. Hoc patet, eo quod per verba expressa sancta Synodus dicit, quod sit matrimonium celebretur sine præfentia proprii sacerdotis vel alterius, de licentia proprii, vel ordinarij; sit irritum & inane, & contrahentes coram tali sacerdote, qui proprius non est, neque a proprio, vel ordinario habet licentiam; inhabiles constituit, ad sic contrahendum. Et non magis constare potest inter eos matrimonium, quam posset constare inter consanguineos intra quartum gradum. Et non alia ratione nisi quia inhabiles ad contrahendum, & illegitimæ personæ, ab ecclesia sunt declarati. Est necessaria ergo præfentia proprii sacerdotis.

4. conclusio. ¶ Quarta conclusio. In tantum præfentia proprii sacerdotis ad legitimum matrimonium requisita est; Vt hæc non quæcunque sufficiat, sed humana debeat esse, seu moralis, quod est dicere quod si proprius sacerdos esset, vbi contrahentes sunt dormiens vel esset ebrius, vel vigilans, sed penitus non attendens, ad contractum, & ad contrahentes, & ad expressionem consensus, talis assistentia non sufficeret; neque diceretur assistere, & sic esset irritum & nullum. Patet quia sancta Synodus quæ assistentiam exigit necessariam, hanc petit, quæ humana & moralis intelligenda est. Sed vbi minister dormit, vel est ebrius, vel non aduertit perinde est, ac si non assisteret. Ergo non est assistentia, quia sicut lapis, vel truncus adesset.

¶ Item ideo requisita est assistentia a sancta Synodo, vt intelligat consensum, vt testificari possit de contracto matrimonio. Sed qui sic esset dormiens, vel ebrius, vel non aduertens, testimonium perhibere non potest.

Ergo

Ergo non assistit propria, vt concilium sanctum docet.

5. conclusio. ¶ Quinta conclusio. In nouo orbe regulares religiosi S. Dominici, & S. Francisci, & sancti Augustini quamuis ante Concilium Tridentinum poterant licite matrimonijs contrahendis assistere, & nuptias benedicere, non obstante Clementina religiosi de priuilegijs. Post Concilij Tridentini celebrationem non possunt assistere, neque est validum matrimonium si non sit noua concessio.

¶ Hæc probatur quod licite per religiosos in nouo orbe hæc peracta sint circa neophitos in coniungendis eorum matrimonijs: quia non obstante prohibitione facta per allegatam Clementinam, habuerunt speciale priuilegium, & Nicolai. 5. & Leonis. 10. & Adriani. 6. quibus potuerunt hæc facere. Item fuerunt valida & rata illa matrimonia, quia minister nunquam ante fuit necessarius, neque proprius, neque non proprius. Vt supra probatum est singulare in matrimonium esse.

6. conclusio. ¶ Sexta conclusio. Post Concilium Tridentinum celebratum, & hoc decretum publicatum, Religiosi in nouo orbe matrimonium neophytorum licite modo assistunt, & matrimonium eis præfentibus & ratum, & legitimum, si alias sunt alia necessaria; patet, si non esset quia deficeret proprius sacerdos, sed non deficit, quia quando sacerdos de licentia ordinarij assistit est ratum matrimonium vt expresse in concilio, Sed religiosi qui modo id agunt ex licentia summi, Pontificis sanctissimi Papæ Pij Quinti operantur; Qui est primus potissimas totius ecclesiæ ordinarius, & a quo alij pendent, vt patet ex diplomate concessio anno 1567. ad instantiam Regiæ Maiestatis Philippi secundi Hispaniarum Regis, vbi mentio de celebrando matrimonio fit. Hæc omnia patent in priuilegio, & sic possunt modo assistere matrimonijs neophytorum, sicut ante poterant, & idem possunt alij religiosi non mendicantes, & similiter qui Iesu de Societate sum, quia ad omnes se extendit concessio.

7. conclusio. ¶ Septima conclusio. Ad hoc quod non proprius sacerdos assistere licite possit in contrahendo matrimonium: & quod sit validum & firmum; concessio proprii requisita est in specie particulariter nominatim, & nõ sufficit in generali. Volo dicere quod per hoc quod proprius sacerdos vicem suam alteri daret; in aliquibus actibus proprijs exercendis, non sufficeret ad hoc, vt assisteret matrimonio, nisi specialiter esset commissum. Patet, quia matrimonialis causa grauis est adeo, vt propria Episcopi censeatur. Item quia hoc est odiosum graue, ob id restringendum. Item quia est periculofum, cum sit irritum & nullum, si sine proprii assistentia sit. Nam in generali concessione non videntur illa concessa que non concederentur, &c. Ex quo videtur quod si in diplomate concessio a sanctissimo Papa Pio Quinto religiosi, non fieret mentio specialis de matrimonij assistentia, non possent per generalem concessionem sic vti absque scrupulo. Hæc videntur probabiliter dicta licet ista 7. conclusio

B. Bernar.
lib. 3. de cõ
sideratione
ad Euge
nium.

Conci. Tr
dentinum
Sessio. 24

3. Nota. clusio non tam sit certa quantum cætera præcedentes. Et vnum mihi est certissimum quod etiam si in articulo mortis qui alias non est proprius sacerdos, efficitur proprius, & absoluere potest. Non tamen sic posset in articulo mortis matrimonio assistere & concubenarios coniungere, quia hoc sacramentum non est necessitatis sicut confessio, &c.

Obiectio. ¶ Sed contra prædicta se se offert, nam si verum est ministrum, sic esse requisitum: quod alias proprio secluso, vel alio sacerdote de licentia proprii, matrimonium sit irritum; Christianus, qui apud Sarracenos, aut Turchas est captiuus, vel alias libere habitat, nullo pacto posset cum alia persona catholica contrahere matrimonium, quia ibi non potest haberi sacerdos. Sed hoc est maximum inconueniens: vt ille qui secundum ius naturæ libertatem habet alteri dandi se ipsum, impediatur per ius humanum.

Solutio. ¶ Huic obiectioni multiplex solutio dari potest. Primo, quod ibi talis posset contrahere sine parochio, immo, & sine testibus. Quia statutum concilij non eum obligaret, & remaneret in illo statu in quo ante Concilium Tridentinum. & cum ante concilium non erat necessarius minister ad matrimonium, sed cum legitimo consensu mutuo, inter legitimas personas celebrari poterat, vt est expressa ecclesiæ determinatio, talis apud Turchas existens posset contrahere; Nam quod Concil. Trid. talem non obligaret, patet quia ibidem dicitur, quod obliget post solemnem publicationem factam in sua parochia post 30. dies. Sed apud Sarracenos, vel Turchas talis publicatio facta non est, neque parochia fidelium est, vbi fieri posset; Non ergo fidelis, apud infideles existens ligatur hoc decreto, quia esset inuincibiliter ignorans sicut & in nouo orbe sunt aliquæ prouinciæ, ad quas nondum venit notitia huius canonis, qui & inuincibiliter ignorant, vbi etiam non deest minister. Et in casu non solum videtur verum quod talis apud Turchas posset uxorem ducere sine ministro, quia inuincibiliter ignorat, eo quod nunquam audiuit, sed etiam si alias non ignorasset, sed habet aliunde notitiam talis statuti; adhuc non tenetur. Quia non sufficit quælibet notitia huius noui decreti, ad hoc quod obliget, sed debet esse solemnitas & publica denunciatio, ibidem vbi talis habitat.

2. solutio. ¶ Secundo, ad obiectionem dici posset talem apud Turchas, vel alias infideles manens: non posse legitime contrahere ob defectum ministri. Neque esset inconueniens nam sicut non posset confirmari quia deest episcopus, neque posset absolui sacramentaliter, quia deest sacerdos. Neque posset sumere eucharistiam in Paschate, neque extreme vngi si infirmaretur ob ministri defectum, sic nec posset ipsum tradere matrimonio, quia hoc sacramentum minus necessarium est quam prædicta. Satis est demus, quod ibidem fidelis manens sine remedio non sit in illis, quæ sunt necessaria ad consequendam vitam æternam. Nam in illo tempore, in

in nulla ætate, hominem adultum Deus reliquit desolatum, sed prope se ipsum ostendit omnibus inuocantibus eum; modo in veritate inuocent. Hæc secunda solutio ad obiectionem facilis, & clara est, verum primam probabilem reputo & satis consonam regulis Christianæ fidei, & qui eam sequeretur putarem confidenter ea vti posse, cui tamen. Prima, non satisfacit solutio, hæc secunda posita sit.

¶ Modo ergo & de necessitate matrimonij, & de necessitate sacramenti minister præ requisitus est, & quidem olim ante concilij determinationem necessitas præcepti in omni opinione apparet.

Sexto queritur, an testes sint requisiti etiam simul cum proprio sacerdote.

Videtur quod non, quia in matrimonio celebrando duo confideranda veniunt, vnum in quantum vnum ex 7. sacramentis ecclesiæ est. Alterum in quantum quidam contractus humanus, do ut des, &c. Sed ex nullo istorum duorum requisiti sunt testes necessario. Primo, non in quantum sacramentum, quia in nullo alio sacramento ex testibus pendet essentia, sed ex sua forma, & materia & ex ministro, ut notum est. Sed testes, neque materia, neque forma, neque minister sunt, ergo non sunt necessarij.

Neque sunt requisiti in quantum contractus patet, quia ratio contractus in matrimonio, ut ex Paulo constat, est quia uir potestatem corporis sui foeminae tradit, Et foemina uiro. Dat enim & recipit, sed ista datio ex testibus non pendet, sed ex consensu & voluntate ipsorum contrahentium, vt est expressa ecclesiæ determinatio & ex iure naturæ constat, vt quilibet de re sua possit libere facere, &c.

¶ In contrarium est decretum sanctæ Synodi Tridentinæ.

Pro decisione dubij considerandum, quod alias in præcedentibus diximus est necessario repetendum, vt clarius procedamus, quod aliquid esse requisitum in matrimonio, dupliciter intelligi potest. Vno modo requisitum quod etiam si desit stet matrimonium, sicut supra de publicationibus requisitis diximus. Alio modo requisitum, quod eo deficiente sit irritum & nullum, vt de ministro seu proprio, sacerdote definitum est, vt sic de testibus sit intelligendum.

¶ Secundo notandum, quod testes qui sunt adhibendi ad celebrandum matrimonium dupliciter considerari possunt. Vel solum quod testes sint, cuiuscunque sint conditionis, vel quod sint testes probati legitimi omni exceptione maiores, qui nullomodo iuridice repelli possint a testimonio ferendo.

¶ Prima conclusio. In celebrando matrimonio sic sunt testes necessarij

C duo

6. Dubiū.

Cōcilium
Florētini.
S. Tho. 3.
p. q. 60.

1. Corint.
7. & ad
Rom. 7.
De spōsal.

1. Notandum.

2. Notandum.

1. Conclusio.

duo vel tres, sicut minister est necessarius. Probatur ex verbis expressis concilij, ibidem enim sic diffinitum est.

2. Conclu-
sio. ¶ Secunda conclusio. Testes in matrimonio non solum necessarii sunt de præcepto, sed de necessitate sacramenti & contractus: ita ut ipsis seclusis sit irritum & nullum. Hæc etiam clare & aperte in decreto, ubi per hæc verba expressa testes adhibendos iubet ut eis seclusis sit irritum, & nullius valoris & obligationis.

3. Conclu-
sio. ¶ Tertia conclusio. Ad essentiam contractus & matrimonij, non solum testes requisiti sunt duo vel tres, ut dicit præcedens conclusio, sed adhuc requiritur, quod simul sint testes, & proprius sacerdos. Ita ut sicut supra diximus sacerdos proprius sic requisitus, ut ipse solus non sufficiat, sed testes sint adhibendi. Sic etiam testes sunt adhibendi, & sicut necessarii uti non sufficiant si simul non adsit sacerdos proprius. Hæc constat ex expressis verbis concilij ibidem diffinitum, ut irritum sit sine proprio sacerdote, & sine testibus.

4. Conclu-
sio. ¶ Quarta conclusio. Ad hoc quod matrimonium validum sit, non sufficit, quod sacerdos proprius adsit, & testes duo, vel tres, sed est requisitum, quod simul & non successiue. Volo dicere quod ad validum contractum, non esset sufficiens, quod vir & foemina coram proprio sacerdote suum exprimerent consensum: & post coram testibus, sine proprio sacerdote idem peragerent. Sed requisita est si multas proprii sacerdotis, & testium. Hæc probatur ex verbis expressis citati decreti. Et patet, nam ubi simultas requisita est, ut in baptizante ubi prolatio formæ & asperio, vel infusio, non sufficeret si seorsum immergeret post ex intervallo temporis ubi simulatus moralis non posset intelligi, vel intervallo horæ, vel dimidiæ proferret verba. Secus esset si immediate prolatis verbis immergeret, vel è contra mersione peracta proferret, quia illa simul esse dicuntur, ut tradunt doctores Theologi. Et si in casu nostro posset hic simul multas moralis, ut sacerdos proprius adesset, & statim testes superuenirent etiam sufficeret, sed tamen adhuc hic alio modo requisita est quam in baptismo, quia necessarium est, ut simul in vnum conueniant sacerdos proprius & testes. Et expressionem consensus audiant, & intelligant, & si simul non essent, non sufficeret. Patet, quia sunt verba decreti. (Et aliter quam præsentem parochi & duobus, vel tribus testibus) ubi, per copulatiuam dicitur &c. Et dicit quod si aliter, sit irritum, &c. Sequitur ergo quod ad matrimonium modo, necessarium est simul concurrat & proprius sacerdos, vel alius de licentia proprii, & testes. Alias sit irritum.

5. conclu-
sio. Seu mora-
lis. ¶ Quinta conclusio. Testium præsentia in contrahendo matrimonio sic requisita est, ut humana sit, & alias non sufficit. Quod est dicere, ut superiores quando de præsentia sacerdotis loquuti sumus. Quod si testes essent, dormientes tamen, vel essent, sed ebrii, vel essent sobrii, sed non attendentes ad contractum, & expressionem consensus, talis testium assentia

stentia sufficiens non esset. Et perinde esset, ac si non assisterent. Hæc probantur sicut supra, quia sancta synodus huiusmodi præsentiam requirit ad hoc quod testimonium perhibeant testes de contractu, sed qui modo humano non assistant, non possunt testimonium reddere, neque ut homines loquuntur, assistere dicuntur. Vnde si essent pueri, & non doli capaces, non sufficerent ad matrimonium, quia tales non sunt qui testimonium perhibere habent, & hæc de dubio.

¶ Ad argumentum in contrarium ex dictis solutio constat. Nam & si verum sit in alijs sacramentis testes non esse requisitos ad substantiam eorum, verum in matrimonio, quia simul & contractus humanus, & sacramentum ecclesiæ, habet quid peculiare. Non quidem quod ante sanctam Synodum Tridentinum testes duo vel tres essent necessarii, quia ante non fuerat institutum, sed tamen ecclesia quæ multa variæ, secundum temporum varietatem ordinauit, circa matrimonium in quantum contractus est, ut supra diximus, ex capit. non debet de consanguinitate, & affinitate: modo pia viscera gerens sollicitæ matris, ad tollenda scandala quæ ex occultis, & clandestinis matrimonijs oriebantur suo iure utens, statuere potuit & statuit, ut duo vel tres assisterent testes, cum proprio sacerdote, ut testimonium sufficiens esset, de mutuo consensu inter coniuges, alias non prohibitos contrahere: & quod secus factum irritum & nullum iudicaretur. Nam & si olim per multa patrum decreta & Pontificum determinationes, clandestina matrimonia prohibita essent, tamen facta tenebant, & irrita non erant. Modo tamen ut patet ex præsentem decreto: non solum ea clandestine fieri prohibet: sed irrita & nulla esse declarat; si sine præsentia testium fiant.

Sed quia de testibus & attestacionibus varia in iure conscripta sicut, & peculiariter in matrimonio, ubi aliqui admittuntur testes, qui in alia causa admittendi non essent, ut cap. videretur nobis, de illis qui matrimonium accusare possunt. Et quando non sunt testes de visu, admittuntur de auditu, cap. præterea de testibus, & attestacionibus. Et alia singulariter animaduersa de quibus in 3. p. arti. 8. & quomodo testes debent esse circumscripti, & omni exceptione maiores, ut notat Panor. in cap. continebat, de desponsatione impuberum.

S E P T I M U M D U B I U M .

D Vbitatur ergo 7. consequenter, an dati testes duo vel tres, requisiti sint ad substantiam matrimonij, ut diffinitum est, An quicumque testes sufficiant, & alieni, & extranei, & doli capaces, & incapaces, & viri & foeminae, infames & non infames, excommunicati, & non excommunicati, &c. Et videretur quod non omnes tales admitti possint. Patet quia ratio quare testes necessario sunt adhibendi ad matrimonij substantiam

est, vt testimonium perhibere possint in iudicio, & extra, de expressio-
ne consensus, & de celebrato matrimonio. Sed qui infames sunt, vel
qui alias secundum iura incapaces, fidem non faciunt in iudicio saltem,
sed repelluntur secundum iura. Ergo tales non sufficiunt, & sic admitti
non debent.

¶ *In contrarium est testes adducendos, decretum dicit; Et de qualitate
nullum verbum.*

1. conclu-
sio.

Doli capa-
citas req-
uita nō ex-
tas.

Prima conclusio. Pueri non possunt esse testes sufficientes, si non sint
doli capaces. Probatur, quia testes eo adducuntur vt testimonium
perhibeant matrimonio contrahendo, sed qui non sunt doli capaces nō
possunt ferre, ergo. Dixi si non sint doli capaces, quia si sint, non est re-
quisita ætas 20. annorum, vt in criminalibus requiritur ff. eo. l. inuiti. l. 2.
& l. in testimonium & 4. q. 3. c. testes neque est requisita ætas quæ in ciui-
libus exigitur, scilicet pubertas 4. q. 3. c. i. quia hic non agitur de negotio
criminali, neque agitur de ciuili, sed solum de contractu. Qui contra-
ctus ante concilium, & stando in iure naturæ testes non requirebat.
Ergo cum hoc valde odiosum sit & grauamen quoddam inferat matri-
monio contrahendo, oportet quod stricte, & non ample de testibus ad-
hibendis fiat sermo. Iuxta iuris regulam fauores sunt ampliandi: & odia
restringenda.

¶ Et confirmatur quia secundum iura, impubes si doli capax sit, potest
testimonium dare de uis impubertate arg. institu. de insti. stipula. §. pu-
pillus ff. de neg. gest. l. in negotijs quod notatur 37. dist. c. relatum adde
quod dictum impuberis facit plenum iudicium ad torturam 37. d. c. re-
latum. Dixi si doli capax sit, quia furiosus & mentecaptus, non admitti-
tur, sicut neque ad officium iudicandi 3. q. 7. cap. tria ff. de testa. l. qui tes-
tium §. nec furiosus argu. de sponsalibus c. dilectus 32. q. 7. cap. nec fu-
riosus 7. q. 1. c. quamuis, nisi isti habeant lucida interualla.

2. conclu-
sio.

¶ Secunda conclusio. Ad hoc quod sint legitimi testes in matrimonio:
non requiritur quod non sit seruus, vt in c. forus de verb. signifi. §. testes
& c. de test. in l. quoniam liber. nec est requisitum, quod sit vir, quia foe-
mina potest esse testis. Neque requiritur, quod sit bonæ famæ. Neque
requiritur fides. Neque requiritur, quod non sit affinis, vel consanguineus,
neque requiritur quod non sit de familia, neque tandem re-
quiritur, quod testis non sit excommunicatus secrete, neque quod sit
omni exceptione maior.

Seruus.
Quando
testis ad-
mittitur i
testem.

¶ Ista conclusio habet plures partes, & oportet de singulis aliquid di-
cere: nam & si citati excludantur à testimonio dicendo: in contrahendo
matrimonium non excludendi sunt. Et de seruo patet: nam licet in lo-
co citato expellatur, nā adhuc seruus, qui in criminalibus nō est idoneus
testis, in defectu testiū admittitur, vt §. in criminalibus 4. q. 3. Itē fallit quā-
do de facto serui quæritur & non pro Domino, neque contra Dominū.

¶ Neque

¶ Neque excluditur fœmina: nam licet de iure canonico, fœmina non
admittatur, in criminalibus criminaliter 33. q. 5. cap. mulierem in ciui-
libus tamen & spiritualibus etiam in denunciatione, & inquisitione ad-
mittitur: nisi vbi expresse prohibitum inuenitur. Vt notat Ioan. Andr.
in additio. ad specula, eod. tit. & faciat c. quoniam & c. tam literis de
testibus, sed in decreto Concilij Tridentini, expresse fœmina non est ex-
clusa à testimonio ferendo. Ergo expelli non debet.

Fœmina
potest esse
testis 15.
q. 3. §. ex
co.

¶ Item, etiam infamis. Nam & si repellatur infamis à testimonio feren-
do, vt c. præterea de testibus, & c. testimonium, non tamen in matrimo-
nio contrahendo repellitur.

Infamis.

¶ Item non requiritur, quod sit fidelis, nam & si infidelis contra fidelem
non admittatur 2. q. 3. c. si hæreticus, & ff. de testibus l. 2. In contractu
matrimoniali testimonium præstare poterit, vbi solum requiritur de ex-
pressionem consensus vtriusque certitudo, quæ ab infideli haberi potest.

¶ Item à testimonio non excludit, consanguinitas vel affinitas. Nam et si
Pater pro filio, vel è contra non sit legitimus testis l. testis ff. eo. & 4. q. 3.
§. item testis, sed vbi agitur de correctione, & de ætate, & natiuitate fal-
sit c. transmissa, qui filij sint legitimi, & c. per tuas. Et extra matrimo-
niales causas, quia admitti possunt parentes, & tandem relinquunt ar-
bitrio iudicis, quando est suspitio in tali testimonio. Ex quo videtur
quod non possint repelli à testimonio per consanguinitatem, vel af-
finitatem.

Cōsanguini-
neis.

¶ Neque excluduntur, qui de familia: nam & si repellantur de familia
actoris l. penul. ff. eo. & c. de his qui ad ecclesiam confu. l. fin. §. sane. Sed
qui sunt de collegio admittuntur, super facto, vel in facto collegij. Se-
cundum Panor. in cap. 3. de probationi. Et est textus in c. veniens extra
eo. Et similiter illi qui sunt de conuentu, & c. Ergo non sunt repellendi
à testimonio in contrahendo matrimonium, illi qui de familia sunt.

Familia-
ris.

¶ Item excommunicatus etiam potest esse testis; nam & si publice excō-
municatus excludatur à communicatione, & consequenter non sit vocā-
dus in testem: qui secrete excommunicatus est, non est repellendus. Cum
etiam ab alijs maioribus non excludatur, qui non est nominatim excom-
municatus, vel clerici manifestus percussor, & c.

Excommu-
nicatus.

¶ Item, neque requiritur, quod testis sit omni exceptione maior. Qui vo-
catur talis, qui nulla exceptione repelli potest, vt patet ex Romano Pon-
tifici c. 1. de consanguinitate, & affinitate. Vbi Bernardus diffinit, quis
dicatur omni exceptione maior. Et glo. in c. at si clerici de iudic. & in c.
1. de testibus, & Albertinus c. 1. de hæreti. in 6. q. 16. Nam qui in alijs
negotijs iuridice repelluntur in matrimonij causa admittuntur. Et quis
testis idoneus imo & omni exceptione maior, ad arbitrium iudicis spe-
ctare asserunt iuris prudentes. Vt Abb. in c. cum Ioannes de fide instru-
mentorum. & Felinus ibi & Parisi. consi. 53. 54. 58. vol. 4. de quo, Epi-
scopus

Alberti-
nus.

Abbas.
Felinus.

scopus

Covarr.

scopus Segouienſis Covarruias. multa 2. p. 4. decreta cap. 8. num. 8.
 ¶ Vnica ratione omnes partes huius conſuſionis probantur. Nam dicebamus hoc valde odioſum conſiderandum in materia matrimonij cōtrahendi, cum contra tot iura & contra receptum eccleſiæ uſum a Chriſti paſſione talis reſtriçtio facta non ſit. Imo nec a mundo condito, ubi matrimonium originem habuit. Vt teſtes neceſſario adhibeantur, & quod alias contractus matrimonialis ſit irritus, & nullus. Sequitur hoc tam odioſum reſtringendum eſſe, & non ampliandum. Et ſic cum in ſancta Synodo in decretum ſolum dicatur, quod teſtes ſint adhibendi, de neceſſitate, contractus ſufficit tales habeantur qui teſtimonium perhibere poſſint dummodo ſint doli capaces cuiuſcunq; fuerint conditionis, & fortunæ. Nam in tali re nullum verſatur periculum, maxime quia præſentia miniſtri requiſita eſt ſimul cum teſtibus. Et quamvis hæc apud me ſint compertiſſima, quouſque eccleſia aliud diffiniat, Conſilium tamen eſt, ut in tali celebrando contractu, ut decenti fiat grauitate, & maiestate, ut tales teſtes conuocentur, qui omni exceptione maiores habeantur, quando tales adhiberi poſſunt. Ad argumentum in contrarium ex dictis patet ſolutio.

OCTAVUM DUBIUM.

8. Dubiū.

SEquitur conſequenter, octauum Dubium, an tales contrahentes, ſine illis quæ neceſſario requiruntur, ut eſt Parochus, & teſtes duo vel tres, ſint omnino cenſendi inhabiles, & illegitimi ſimpliciter ad contrahendum, ita ut in pœnam maneat ſine matrimonio.

¶ Et videtur, quod ſic quia ibidem in decreto concilij ponitur, ſancta Synodus tales clandestine contrahentes huiusmodi inhabiles reddit, & tales contractus irritos facit: ſancta Synodus non ſolum irritos facit, tales contractus, ſed clandestine contrahentes inhabiles facit. Ergo vere ſunt inhabiles ad aliud contrahendum matrimonium, quia ſi ſolum eſſet quantum ad contractum clandestinum, ſufficeret huiusmodi contractum irritum, & nullum facere: non ſolum irritum facit, ſed inhabiles reddit, ergo tales contrahentes inhabiles ſunt ad amplius contrahendum.

¶ In contrarium eſt veritas ad Dubium.

1. conſuſio.

PRima conſuſio. Qui clandestine contrahunt, ſive quia proprius padeſt ſacerdos, & non ſunt teſtes: Vel quia ſunt teſtes, & deeſt proprius ſacerdos: vel quia vtrunq; deeſt: & ſi ſint inhabiles ad contrahendum clandestine, habiles tamen manent ad contrahendum cum alijs. Patet ex verbis expreſſis decreti, ubi dicitur quod clandestine contrahentes, inhabiles ſint ad ſic contrahendum, ſi ergo inhabiles ſunt ad ſic contrahendum, non ſunt inhabiles ſimpliciter ad contrahendum: nam affirmatiue

matue a dicto ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter non valet, eſt albus ſecundum dentes, ergo eſt albus, ſic eſt inhabilis ad ſic. Ergo eſt ſimpliciter inhabilis. Non valet.

¶ Secundo, ut ſupra dictum eſt, quia hoc odioſum valde eſt, reſtringi debet, & non ampliari. Sed in decreto verba ſunt quæ ſtriçte ſonant, ut tales inhabiles ſint ad ſic clandestine contrahendum: non ergo ampliari debet, Vt ſimpliciter tales inhabiles ſiant.

¶ Secunda conſuſio. Qui clandestine contraxit, & ſi matrimonium ſic contractum, irritum ſit, non ſolum poteſt licite cum alia contrahere modo clandestine non fiat, ſed cum eadem poteſt publice contrahere, & ratum, & legitimum erit matrimonium: modo ſint alia requiſita. Hæc ſit poſita, quia forſitan poſſet quis dubitare (ſicut, & ab aliquibus dubitatum eſſe certo ſcimus) quod qui clandestine contraxit licet non maneat inhabilis ad publice contrahendum cum alia, in pœnâ tamen maneat inhabilis ad contrahendum publice, cum eadem. Et ad tollendum dubium poſita ſit hæc ſecunda conſuſio. Et probatur eodem modo ſicut, & præcedens, quia clandestine contrahens ſolum inhabilis efficitur ad ſic contrahendum, ſcilicet clâdeſtine, nec ſancta Synodus dicit, eum inhabilem ad aliquam, vel ad hanc cum qua contraxit clandestine, Sed ſolum dicit ad ſic contrahendum. Si ergo non ſic contrahat cum hac, ſed publice in præſentia proprii ſacerdotis, & teſtium duorum vel trium, poterit cum illa eadem contrahere, neque cenſetur inhabilis ad id.

¶ Secundo, quia hoc eſt odioſum, ut ſæpe retulimus, & ob id reſtringere oportet, quod eccleſia in hoc ſacramento materiam diſponere poſſit, & mutare ponendo impedimenta, & aliquos inhabiles, declarando, & non ſic in alijs ſacramentis, euenit. Primo hoc ſacramentum eſt etiam contractus humanus. Secundo, quia matrimonium non fuit de nouo inſtitutum, ſed ortum habet ante Euangelium, alia ſacramêta de nouo à Chriſto ſunt inſtituta, ob id differentia aliqua reperitur inter matrimonium, & alia ſacramenta quantum ad materiam.

¶ Ad argumentum in contrarium dicendum, quod ſancta Synodus ius conſtituebat irritando contractus clandestinos, & penitus nullos declarando, ob id fuit neceſſarium exprimere claris, & apertis verbis: neque ſufficeret ſi ſolum inhabiles diceret tales, niſi & irritum ſtatueret. Nec etiam ſufficenter eſſet dictum irritum facere clandestinum matrimonium, niſi etiam ipſos ſic contrahentes inhabiles faceret. Et ne maneat aliqua dubitandi occaſio vtrunq; poſuit ad maiorem declarationem. Quapropter tenendum eſt, quod ſi qui ſint, qui clandestine cōtraxerunt, manent in obligatione ad explendum eo modo quo licite poſſunt. Et tales qui clandestine contraxerunt cum ſolum inhabiles ſint declarati, ad clandestine contrahendum, poterit quilibet eorum, cum alia contrahere perſona, dummodo id publice fiat. Vel poterunt ipſi qui clandestine

Ad argu-
mentum.

ne contraxerunt, publice, & solemniter contrahere, & verum erit antea irritum matrimonium.

¶ *Nono dubitatur, an si quis clandestina, seu secreto alicui promissit de matrimonio teneatur adimplere.*

9. Dubiū. **V**idetur quod non, quia ut patet ex supradictis, & expressum est in concilio, Omnis clandestinus contractus, est ipso facto irritus, & nullus. Ergo similiter omnis clandestina promissio, de contrahendo matrimonio, erit nulla & irrita, & non obligat ad promissum, & est nullius momenti, post determinationem Concilij Trident.

¶ Secundo, si ille qui clandestine promissit, tenetur adimplere, eo esset, quia tenet promissum & contractus, & alius similiter potest se ipsum tradere promittenti. Sed ex hoc non obligatur, patet quia est ei prohibitum clandestine tradere. Et alteri similiter est ei interdictum sic contrahere. Ergo sequitur quod nullo modo tenetur.

¶ *In contrarium est, quia omne promissum debitum est in foro conscientie.*

1. Notandum. **H**oc dubium reputatur graue post Concilij Tridentini determinationem, & ab aliquibus grauib. viris, & doctis dubitatum est.

¶ Pro decisione dubij est aduertendum, quod ille qui promissit clam sine testibus alicui matrimonium futurum, vel hoc fuit solum, per verba de presenti per mutuum consensum: vel fuit solum verba de futuro: & hoc dupliciter, vel solo vno promittente, altero tacente, & non consentiente, neque verbo, nec nutu vel altero acceptante, & consentiente.

2. Notandum. ¶ Secundo est etiam aduertendum, quod qui promissit clam alteri, vel fuit ignorans huiusmodi sancti Concilij Tridentini decretum, vel sciens: & sciens, potuit dupliciter se habere, vel promissit absolute, vel promissit solum dare, seu se ipsum tradere, sed tamen clandestine, & non publice.

1. propositio. ¶ Prima propositio. Si quis alicui promissit, seu fidem dedit de matrimonio contrahendo, in futurum: etiam si promissio fuerit clam, dummodo alias persona fuerit habilis ad contrahendum, tenetur seruare promissum, & fidem adimplere. Patet ex titulo extra de sponsalibus. Qui promittit alicui aliquid quod suum est, reddere tenetur, & quidem hæc conclusio olim non fuit dubia, sed modo post concilium dubitatum est, & probatur si fidem dans de matrimonio futuro clam, non teneretur modo adimplere ex eo solum esset, quia in concilio irritum est inane matrimonium clandestinum sine testibus, & proprio sacerdote. Sed hoc non obstat, quia ibi in concilio, solum matrimonium clam contractum irritum est, sed non promissio facta clam. Lōgè enim ista distant matrimonium clandestinum: & promissio de matrimonio clam. Sequitur quod cum promissio clam irrita non sit: manet in suo vigore, sicut ante concilium. Sed ante celebrationem concilij, manebat obligatio ex iure naturali, ad adimplendum promissum.

¶ Secundo, si talis qui clam promissit, non teneretur adimplere promissum

sum esset, quia non valet adimplere, quod promissit, sicut si impotens promitteret, vel qui non est sui iuris. vel si promittit, quod non habet. Sed qui clam promissit supposito quod sit Dominus sui, & alias non sit impeditus potest adimplere, absque aliqua difficultate. Quia potest adimplere publice se tradendo, seu contrahendo coram proprio sacerdote: & testibus. Sequitur ergo, quod talis tenetur sicut ante tenebatur.

¶ Secunda propositio. Qui promissit de presenti alicui clam, tenetur adimplere promissum, publice, & coram testibus. Dummodo alias non sit impedimentum, patet quia talis vere promissit, ergo tenetur adimplere si potest. Sed potest adimplere publice, & solemniter contrahendo: ergo ad id tenetur. nā si ille qui de futuro promissit et si clam, tenetur adimplere promissum, quia potest publice: contrahendo, a fortiori ille qui actu, dedit se ipsum, tenetur adimplere, quod promissit, & publice contrahere. Unde eo modo quo verba de presenti in sponsalibus ab illis, qui legitimam non habent aetatem, censentur, ac si de futuro & sponsalia iudicantur, & promissiones futurarum nuptiarum. Sic similiter in casu quando aliqui duo contraxerunt clam, & ad inuicem vnus alteri promissit, manent in obligatione promissi, ac si de futuro promississent, & tenentur ad inuicem fidem seruare, & adimplere, ut possunt: quod erit publice, & cum solemnitate contrahendo: & hæc non videantur noua, & libere dicta. Sed sunt necessario concedenda stando in iure naturæ, quod ablatum modo non est per Concilium Tridentinum. Et est etiam secundum ius Canonicum, qui promittentem impeditum non simpliciter deobligat, sed eum ligatum existimat, ad reddendum quando possit. Sic simpliciter qui alicui dedit se ipsum, sed modo quo non potuit: manet obligatus, ut adimpleat modo quo potest. Si ergo non potuit adimplere clam se ipsum dando: adimpleat publice se ipsum tradendo coram testibus, & sacerdote proprio.

¶ Tertia propositio. Qui alicui fidem dedit de matrimonio non ignorando canonem Concil. Trid. clam, tenetur adimplere. patet quia si non teneretur esset, eo quod scit clam non posse se ipsum tradere, sed hoc obstat dummodo simpliciter promissit. Etiam si promissio fuit clam, quia debet adimplere eo modo quo potest, & ei concessum est, secus si non aliter intenderet adimplere nisi clam.

¶ Quarta propositio. Si quis clam promissit alicui de matrimonio contrahendo, & sua promissio formaliter explicite solum fit de clam adimplendo, contrahendo talis non manet obligatus licet peccet promittendo. Patet, quia promissio obligat iuxta voluntatem promittentis, & non alias. Sed iste promissit clam ducere ergo ad clam ducendum solum obligatur. Sed promissum sic adimplere prohibitus est. Ergo amplius non tenetur: nam & si possit adimplere cum solemnitate publice non tamen tenetur ex vi promissionis, quia non promissit, sed solum clam. Et mani-

et. 157. 82. q

2. propositio.

Cap. vñ. co de spō. fatione im. puberū in 6. §. 1. & in c. anobis & c. attestations, & c. si. co. tit.

3. propositio.

4. propositio.

In c. ex literis, & c. sicut, & c. requisit etiam si iuramentum non interueniat in c. de illis de sponsa impuberū 22. q. 5. c. iuramē. S. Tho. in 4. d. 27. q. 2. S. Anton. 3. p. tit. 1. c. 18. §. fin.

Caiet. 22. q. 88. feste probatur de illo qui voluit religionem, & paupertatem, & continentiam in religione. Si tamen contingat, quod non recipiatur, vel receptus expellatur, iam talis non manet obligatus ad continentiam, vel paupertatem extra religionem seruandam.

¶ Sed, quod talis sic promittens peccet, patet, quia illicitum promittit, nā si exequeretur promissum, & clam contraheret contra prohibitionem faceret, & grauiter mortaliter delinqueret: vt supradictum est. sequitur ergo quod contra ius promitteret & sic peccaret.

Ad primū. ¶ Ad primum contrarium ex dictis patet solutio, nam & si contractus matrimonij clam, sit interdictus in concilio; promissio tamen non sic, & manet obligatio illa quæ in iure naturæ est, vt quis teneatur promissum adimplere si potest.

Ad secundum. ¶ Ad secundum similiter dicendum quod ille cui promissio facta, & clā, si acceptauit promissum, etiam si clam potest recipere sicut permittit ius publice, vt docet concilium, & seipsum, etiam tradere. Ob id quando in conclusionibus dictum est, quod quis tenetur promissum seruare etiam si clam promiserit, intelligendum venit dummodo promissio sit accepta ab alia parte cum facta est explicite, vel implicite verbis, vel signis. Nā cum sit stipulatio quædam in promissione matrimonij, do vt des: vno promittente, non dum nascitur obligatio quousque alter consentiat: cui promissio facta est. Et cum constiterit de acceptatione promissi, tunc remanet obligatio apud vtrunque, quia matrimonium non potest claudicare. Si Petrus tenetur Mariæ, quia ei promisit quæ & acceptauit promissum: ille suo consensu seipsam obligauit etiam se tradituram Petro: neque potuerit amplius resilire, nisi eo modo quo sponsalia per mutuum consensum dissolui possunt cedendo suo iuri de quibus dictum est, quid iura disponant in dissolutione sponsaliorum, quæ multis modis contingere potest. Sic etiam posset esse inter illos, qui clam ad inuicem fidem dederunt de matrimonio, sed quamdiu durat promissio in suo vigore, quilibet adimplere tenetur eo modo quo iure potest, & nō est ei interdictū.

Dubium. ¶ Hic posset esse dubium, an si duo mutuo se amant, & vellent matrimonio copulari, sed timent parentes, vel alios consanguineos, ne impediāt, an sit licitum consulere, vt in secreto mutuam dent fidem de matrimonio, vt sic constrixi publice celebretur.

Solutio. ¶ Ad dubium ex dictis constat licitum esse talem promissionem, & consequenter quilibet interrogatus, vel consultus potest consulere, maxime si id fiat ad releuandam suam vexationem, & vim quam patiuntur.

¶ Sed est aliud dubium, an sicut licitum est consulere, quod promittat in occulto futuras nuptias: licet consulere, vt post promissionem secretam occulte commisceantur, vt sic videatur promissio facere matrimonium consummatum, sicut olim ante Concilium Tridentinum, vt iura disponunt, &c. Ad hoc videtur dicendum, quod nullo modo liceret hoc consulere,

Solutio. fulere, quia talis accessus in secreto sine mortali fieri non potest, ex eo quod sit fornicatio qua ad non suam accedit, neque sit sua, per concubitum sicut olim, quia ad sic contrahendum secreta inhabiles ab ecclesia iudicantur, neque ecclesia potest iudicare esse verum matrimonium, neque præsumptum tale. Quia sic in Concilio Tridentino fuit diffinitum, in quo videtur deceptus quidam iurisperitus alias vir valde doctus, qui consultus consilium dedit de consummatione, etiam si coram testibus id sciendum dixerat, sic vt testes testimonium possent perhibere de consummatione. Sed adhuc consilium non fuit sanum, & grauiter peccatum est ex omni parte, quia etiam si testes essent, defuit proprius sacerdos, qui modo ad matrimonium est necessarius: nam si id sufficeret via aperiretur iuuenibus lasciuis decipiendi foeminas.

DECIMUM DUBIUM.

Oportune sese offert dubium, antequam vltterius progrediamur, vtrū hæc de clandestino matrimonio, sic diffinitiuā in vniuersum sint vera, vt nullo modo clandestine contractum teneat. **10. dubiū.**

¶ Videtur quod sic patet ex concilij verbis, vt retulimus, quibus irritum declaratur matrimonium non contractum in præsentia proprii sacerdotis, & coram testibus.

¶ In contrarium videtur, qui bona fide publice cōtraxit, iuxta decretum concilij, & post inuentum est impedimentum, Ipso ablato poterunt secreta contrahere, & erit legitimum matrimonium alias non posset scandalum vitari.

¶ Hoc est vnum ex potissimis in materia, an quando fuit impedimentum post solemniter contractū matrimonium, sufficiat interior consensus, &c.

¶ Pro solutione dubij prænotandum, quod qui publice contrahunt, testibus præsentibus, & parochio, iuxta decretum concilij in quibus fuit impedimentum quo stare non potuit matrimonium, vel solum impedimentum fuit ex vna parte, vel fuit ex vtraque.

¶ Secundo, quando ex vna, vel ex vtraque, vel fuit ignoratum tempore solemniter contractus, vel fuit scitum.

¶ Tertio, quando aufertur impedimentum per dispensationem, vel hoc fit secreto, vel publice, quia constat de impedimento publice. Licet tempore contractus fuit occultum.

¶ Quarto, etiam aduertendum, quod ablato impedimento, quando fuit secretum: illi qui publice contraxerunt dupliciter se possunt habere, quo ad ratificandum matrimonium. Vel secreto interius, non præbendo consensum, vel exterius verbis ad inuicem prolatis. Sine sacerdote tamen & sine testibus, sed clam. Ita vt si de nouo fieret, vel a principio clandestinum censeretur.

1. conclusio. ¶ Prima conclusio. In illis qui contraxerunt publice coram Parocho, & testibus, si aliquod fuit impedimentum ex illis quæ impediunt, & dirimunt: nullum fuit matrimonium. De hac apud nullum dubium est. Et sunt iura quæ id diffiniunt, & late probatum est in toto opere in prima parte, ubi de impedimentis sermo est.

2. conclusio. ¶ Secunda conclusio. Qui cum solemnitate contraxerunt impedimentum ignorantes, iuxta ignorantiam, & a culpa, & a pœna excusantur in tali contractu. Hæc etiam videtur esse clara, quia ignorantia excusat; dixi iuxta ignorantiam, quia si inuincibilis, ab omni culpa, sunt immunes. Et si celsa, & supina a tanto excusantur. Quod si affecta esset nulla esset excusatio.

3. conclusio. ¶ Tertia conclusio. Post solemniter contractum matrimonium, impedimento cognito, & per dispensationem ablato: si publice constat de impedimento, & dispensatione: necessario publice, & cum solemnitate iuxta decretum concilij, coram testibus, & proprio sacerdote contrahere necessarium est. Hæc conclusio patet, quia a principio nullum fuit matrimonium ob impedimentum, si ergo ablato impedimento debet esse validum oportet sit sicut iure sancitum, sed iure sancitum est, quod coram testibus, & proprio sacerdote & alias sit irritum & inualidum. Ergo id requiritur.

¶ Item quia si excusari possent a publice contrahendo esset ob scandalum vitandum, vel ob aliud receptum ab ecclesia, & probatum a doctoribus. Sed quando impedimentum fuit publicum, & dispensatio publica, non solum ex publica, & solemnitate contractione non oritur scandalum, sed potius oriretur, si id publice non fieret.

4. conclusio. ¶ Quarta conclusio. Quando impedimentum fuit secretum ex parte vnius, & dispensatio similiter secreta est. Si a principio solemniter matrimonium est contractum coram testibus, & proprio sacerdote, non videtur ad validationem sufficere interior consensus illius ex parte cuius fuit impedimentum. Casus est contingens frequenter & satis intelligibilis. Si Petrus contraxit cum Maria quam post contractum matrimonium deprehendit sororem Mariæ se carnaliter cognouisse, ignorauit, vel considerauit tempore contractus impedimentum, post secreto adducit dispensationem ad validandum matrimonium, quod nullum fuit a principio, non videtur sufficere interior consensus. Patet, quia matrimonium claudicare non potest, & per consensum vnius stare non valet, nisi mutuo consensu, vt est textus expressus, sed in casu solum vnius est. Ergo non stare potest per solum interiorem vnius, & idem est si ex parte vtriusque fuit secretum, & non exprimitur nouus consensus verbis, vel signi de nouo, hæc dicta sint modo, & si olim ante hanc concilij determinationem nobis fuerit visum contrarium de mente Ricardi in 4. d. 40. q. 6. Vt adduximus in prima parte, Speculi coniugiorum. art. 44. cōcl. 3.

¶ Quinta

¶ Quinta conclusio. In casu posito per consensum expressum alio respondente etiam in secreto, Sine alia publicatione probabile videtur, quod sufficiat ad legitimum matrimonium. In hoc consistit difficultas proposita: Probatur in casu, si talis consensus habitus in secreto non sufficeret absque solemnitate expressa in decreto, eo esset quia esset clandestinum, & consequenter irritum & nullum: sed tale quando præcessit solemniter cum proprio Parocho, & testibus, clandestinum non dicitur. Sequitur ergo quod in casu sufficeret. Maior est manifesta, & minor probatur. Quia ad clandestinum requiritur, quod non interuenerint testes, & proprius Parochus: sed in casu ista reperta sunt, quia vere præcesserunt. Sequitur ergo quod non est dicendum matrimonium clandestinum, & sic consequenter sufficiens, & validum est, Et quidem quod tale matrimonium clandestinum non dicatur quando præcesserunt solemnitates, etiam si non fuit validum tunc, tenet Caiet. in q. propria de clandestino matrimonio q. 2. Idem affirmat Ambrosius Catherinus, in 5. lib. contra Caiet. & sic sentit doctissimus Episcopus Segobienensis, Couarruias in Epitome. 4. Decretalium 2. p. c. 6. num. 8.

¶ Est etiam ratio quia odiosum restringi debet, vt supra dictum est, iuxta regulam iuris. Sed hoc valde odiosum, ergo videtur, quod verba huius decreti quando de testibus, & proprio Parocho debeant intelligi, vt sit necessarium, quod sit quando est legitimus consensus, & quando præcessit solemnitas, licet tunc non habuerit effectum.

¶ Tertia ratio est, quia testes, & proprius sacerdos, eo requiritur, vt testimonium perhibeant de mutuo consensu, &c. Sed in casu quando solemniter contractum est, quamuis non fuerit tunc suum effectum sortitum expressus est consensus: & testimonium perhibere possunt testes, sicut si verum esset, & ratum tunc.

¶ Quinto, quia concilium voluit vitare peccata, & scandala, quæ oriri solent ex contractu clandestino, sed in casu si non valeret expressio consensus in secreto non vitaret: imo oriretur multa, & infamia aliquorum, qui bonæ famæ essent si post publice tenerentur contrahere. Adde, quod per Ecclesiam compellitur, qui contraxit ad cohabitandum. & pro alia parte cum impedimentum sit secretum celebrare tenetur, si non posset per secretum consensum, sibi providere maneret talis in damnationis periculo. videtur, ergo dicendum quod sancta Synodus quando irritum, & nullum dixit matrimonium, ubi non sunt testes, & proprius sacerdos, intellexit de illis qui clam contrahunt, & nullo modo potest constare de eorum consensu.

¶ Et quidem ante sanctum Concilium Tridentinum grauisimorum Auditorum, tam Theologorum, quam Iurisperitorum, in casu sententia communis est, si aliqui publice contraxerunt, & matrimonium fuit nullum, quia aliquod interfuit impedimentum, vt post dispensatione facta, & im-

pedimento

5. conclusio.

Nota.

Caieta.
Catherinus.
Couarruias.

Ricardus
in 4. d. 40.
q. 6.

Couarr. i

2. p. 4. c.

au. 4.

Caiet. q. 2.

1. 2. p. opu-

scul.

Catherinus, lib. 5. contra Ca-
ieta. Soto in 4. d. 28. q. 1. ar. 2. cō. 3.
6. conclu-
sio.

pedimento ablato, in secreto mutuo consentiant.
¶ Hæc tamen intelligo, quando bona fide matrimonium est contractum: nam si malafide, scilicet cognito impedimento, sicut tales merito puniendi, & in pœnas inciderent contrahentium contra ius: non possunt iuari interpretamento prædicto. Quamuis si secretum est, & ex aliqua causa rationabili excusari possent, maxime quia in decreto concluditur, quod vestigijs concilij Generalis inhærendo, &c. Sed hic contractus in occulto quando præcessit publicum, non erat prohibitum. Ergo nec modo irritum.

¶ Et si quæ dicta sunt in conclusione præcedenti probabiliter sint asserta: non caret probabilitate contrarium. Ut scilicet consensus priuatus non sufficiat, Sed sit requisitum publice solemniter coram testibus, & proprio sacerdote contrahere. Vel si scandalum futurum timetur dispensationem a Summo Pontifice petere, ut in casu secreta expressio consensus sufficiat; Vel Pontifex declaret decretum concilij quomodo intelligi debeat.

¶ Ratio est pro hac parte quia consensus ille clam sine testibus, sufficiens de se non est: ergo per eum non contrahitur matrimonium, nec fit validum. Patet, quia tales contrahentes sunt inhabiles ad sic secrete contrahendum, ut patet ex verbis concilij. Neque iuari possunt publicitate, vel solemnitate, quæ coram testibus, & proprio sacerdote præcessit, quia tunc illa non fecerunt ratum, & legitimum matrimonium, quia personæ inhabiles erant ad contrahendum, ob impedimentum. Ergo irritum, & inane fuit, quod tunc, & etiam est irritum, quod modo secrete fit. Ergo si ratum sit non pro ut tunc, sed pro ut nunc. Sed pro ut nunc non potest esse, quia clandestinus consensus non sufficit. Et quidem olim ante Concilium Tridentinum, essentia contractus constare poterat per mutuum consensum in secreto, ob id valebat, sed modo est irritum, & inane tale matrimonium.

¶ Nam iuxta determinata in Concilio Tridentino illorum, scilicet expressio consensus mutui, assistentiæ proprii sacerdotis, & duorum testium simultas moralis, & humana requisita est. Maxime quia verum sacramentum est, etiam si sit contractus humanus. Sed in alijs sacramentis ad essentiam non sufficeret, si verba præcederent: & post longum tempus esset in baptismo immersio, vel in confirmatione, consignatio; Aut in ordinatione, esset libri, aut calicis traditio, & post ad duos dies essent verba: vel è contra: eodem ergo modo in præsentibus, cum sanctum Concilium exigat ad effectum matrimonij, ut sit Parochus: & sint duo, vel tres testes: cum expressio consensus, requiritur ad essentiam, quod ista simul interueniant. Ecce quæ faciunt dubium in vtranque partem, satis anceps, & problematica apparet quæstio, sed hoc vltimum securius est. At in casu in quo scandalum graue oriretur, & infamia aliquorum, & vitari non

posset, nisi per secretam expressioem consensus; probabilem reputare opinionem episcopi utendo iuxta dicta in quinta conclusione: nam si leges diuinæ, hæc aequitate non carent, ut interdum interpretandæ sint, ut quæ pro charitate sunt, contra charitatem non militent, à fortiori leges humanæ, & concilij determinationes, & Pontificum decreta pati possunt episcopi. Ex hoc videtur, quod modo non habeat verum quod diffinitum est in cap. per tuas, de conditionibus appòstis, quia ibi in matrimonio contractio sub conditione à superueniente copula reputabatur matrimonium, quia videbatur recedere à conditione, modo tamen non probatur contractus, nisi adsit Parochus, & testes. Ex dictis patet solutio, ad id quod in contrarium adducitur.

V N D E C I M V M D V B I V M.

Consequenter dubitatur circa illa verba decreti, ubi dicitur, quod **Dubium** contrahentes, & testes ad arbitrium ordinarij puniantur, si aliter **11.** contrahant, quam coram proprio sacerdote, & duobus, vel tribus testibus.

¶ Est ergo dubium, an clandestine contrahentes non seruantes illa, quæ in decreto sunt expressa, sint excommunicati ipso facto; Vel in aliam pœnam incidant statutam à iure.

¶ Videtur, quod ipso facto, sint excommunicati. Patet, quia in omni diœcesi hic est vsus, ut clandestine contrahentes, & testes; ubi non est proprius sacerdos, sint excommunicati ipso facto.

¶ Pro dubij, solutione in primis sunt notanda verba decreti concilij. Parochum vel alium sacerdotem, qui cum minore numero testium, & testes, qui sine Parocho, vel sacerdote huiusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes, grauius arbitrio ordinarij puniri præcipit, sancta Synodus, &c. Hæc sunt verba expressa concilij.

¶ Hic est aduertendum, quod in hac clausula, cum puniendum dicat Parochum, qui sine testibus: & testes, qui sine Parocho, Et ipsos contrahentes, omnes comprehendit, qui interfuerint matrimonio celebrando clam, non seruando illa, quæ expressa sunt in decreto, quantum ad coniunctionem. Quia ad alia quæ præcedunt contractum, ipsum ante in decreto positum, & nos supra exposuimus, & de culpa quæ incurritur, ex omissione, &c. Solum ergo modo sermo est, quando actu fit coniunctio.

¶ Prima conclusio. Contrahentes sine Parocho, vel sine testibus, & testes, qui sine Parocho, & Parochus, qui sine testibus coniungit, &c. Ipso facto excommunicati non sunt. Hæc conclusio probatione non indiget, quia cum excommunicationis pœna tam grauis, & odiosa sit, & in textu non est posita, non debet intelligi, &c. **1. conclusio.**

¶ Secunda conclusio. Ordinarius ex præcepto tenetur tam testes, qui **2. conclusio.** sine **sio.**

sine Parocho, quam Parochum, qui sine testibus, & ipsos contrahentes, aliqua pœna punire ad suum arbitrium. Patet ex verbis decreti, vbi dicitur sancta Synodus præcipit, vt tales sic assistentes, vel contrahentes puniantur ad arbitrium ordinarij, peccaret ergo Ordinarius, vel eius officialis, si sciens negligeret pœnam imponere transgressoribus huius decreti.

3. conclusio. ¶ Tertia conclusio. Omnes qui contraueniunt huic decreto siue testes, qui sine proprio sacerdote, siue sacerdos, qui sine testibus, & ipsi contrahentes, mortaliter peccant. Patet, quia est contra ecclesiæ, præceptum, & in re grauissima, ergo mortale.

11. q. c. nullus, & c. ne mo episcoporum, & de sententia excommunicata. c. 1. in 6. c. c. u. inhibito. de clandest. disposi.

¶ Secundo, vbi in pœnam imponi solet communiter excommunicatio, vel suspensio; transgressio mortalis est, quia nunquam ista pœna, nisi in culpa mortali imponi solet. Sed contra clandestine contrahentes communiter excommunicatio fertur, & contra ministrum, qui sine testibus aliquos copulat, suspensionis pœna imponitur, vt in sequentibus dicemus; Sequitur ergo culpam esse mortalem. Et adhuc ante Concilium Tridentinum, quando clandestinum matrimonium irritum non erat, & inane, sicut modo est, de se erat mortale contrahere, vt asserunt doctores; quia contra multa Pontificum decreta, vt nos supra, quando de clandestino agebamus; nisi in casu, vt si virgo fuisset sub tutore, qui eam ignobili vult tradere poterat clandestine contrahere absque peccato: Vt Caieta. in Opuscul. q. propria 2. de vsu matrimonij, & Henri. c. finali de clandestina desponsatione, & gl. in cap. nostrates 30. q. 5. Sed modo post Concilium Tridentinum adhuc in tali casu matrimonium clam esse non potest, eo quod sit irritum, & nullum. Si ergo ante concilium clam contrahere mortale erat, à fortiori modo erit, vbi irritum, & nullum est matrimonium sic celebratum, Vbi late in superioribus probatum est.

Caieta. ¶ Quarta conclusio. Si quis clam absque testibus, & absque proprio sacerdote, alicui promitteret eam in coniungim accepturam, & testes si adessent, & sacerdos si sine testibus, non contrauenirent huic decreto, neque puniendi essent, nec mortaliter peccarent.

4. conclusio. ¶ Probat hęc conclusio, quia verba decreti in rigore sumenda, & vt sonant, & ampliari non debent in odiosis, sed solum sancta Synodus decernit, quod qui interfuerit contractui huiusmodi, hoc est celebrationi matrimonij postquam præcesserunt aliæ solemnitates & publicationes, & c. quod tales puniantur, at promittere alicui matrimonium non est contrahere, nec est contractum celebrare. Sequitur ergo, quod tales, nec sunt puniendi.

¶ Quod mortaliter non peccent, patet quia nulli sit iniuria, & non faciunt contra ecclesiæ præceptum, quia promittere clam interdictum non est. Et confirmatur, quia quis in re honesta, & alijs circumstantijs necessarijs seruatis, vtens iure suo non peccat. Sed qui promittit clam sine

testibus

testibus coram Parocho, vel coram testibus sine Parocho, vel solum per se ipsam iure suo vtitur, quia sui corporis dominus est, quo ad hoc, & ei interdictum non est: licet enim tradere seipsum non possit sine aliquibus seruatis, vt disponit sancta Synodus, sed quod promittat non ei interdicatur. Sequitur ergo eum non peccare mortaliter, neque talis promissio est irrita, & nulla, vt supra diximus, imo tenetur, qui promissio ius naturæ seruare, & adimplere eo modo quo potest, scilicet publice, & cum solemnitatibus in iure expressio. Et in tantum puto hanc conclusionem veram, vt etiam si de præsentis clam esset promissio secluso scandalo, & contemptu dummodo in animo esset solemniter contrahere, quod talis mortaliter non peccaret, neque esset puniendus, & teneretur adimplere promissum, vt supra diximus.

¶ Quinta conclusio. Et si clandestine contrahentes Synodali constitutione iuste excommunicentur: non tamen tales necessario sunt vitandi, quousque nominatim sint excommunicati. Hęc sit posita ob id quod in aliquibus Synodalibus constitutionibus id sit appositum, vt absque denunciatione aliqua vitari debeant. Vt in Salmantina Diocesi adnotatum factum, Episcopus Segobienensis doctissimus Couarruias in secunda parte Epitomæ 4. Decretalium, cap. 6. num. 9. Patet conclusio. Quia id repugnat constitutioni Martini quinti lata in Constantiensi concilio, Vbi cauetur, qd excommunicatos vitare non teneamur, nisi nominatim fuerint excommunicati, vel percussores fuerint tam manifesti clerici, vt nulla tergiversatione id celari possit. Si quidem constitutio inferioris, contra constitutionem superioris vim non habet. Ex cap. cum inferior de maio. & obedientia.

¶ Sexta conclusio. Vltra pœnam ad arbitrium Episcopi inferendam, contra clandestine contrahentes, vel assistentes contra concilij determinationem, illa quæ olim ante concilium manet, Vt scilicet clandestine contractum matrimonium, coniugium non reputetur: sed adulterina fornicatio, trigesima quæstione 5. cap. aliter, & si quæ sint aliæ pœnæ iure appositæ, hęc probatur. Nam si quando olim clandestine fiebat matrimonium hanc pœnam contrahentes incurrerant, & non obstante prohibitione legitimum, & ratum erat matrimonium, à fortiori, & modo post concilium durabit talis pœna contra clandestine contrahentes, cum sit tale matrimonium irritum, & nullum, De quibus supra. Alia necessaria dicta sunt, & quod filij sint illegitimi patet ex textu, cum inhibito de clandest. desponsa. & regia. l. 2. titu. 15. part. 4. sic Innocen. Hostien. & Io. Andr. Anchar. Abb. & alij ibidem.

¶ Septima conclusio. Coniuges post solemniter contractum matrimonium coram proprio sacerdote: & duobus, vel tribus testibus: si ante benedictiones nuptiales simul in eadem domo cohabitent, non peccant mortaliter: neque ob id aliqua pœna sunt puniendi. Probat vbi nul-

Ia est præcepti transgressio, ibi neque culpa interuenit. Sed in tali cohabitacione in eadem domo, nulla reperitur, quia non est tale præceptum, vt ante benedictionem nuptialem non simul cohabitent, sed solum consilium est. Patet ex verbis concilij vbi habetur: sancta Synodus hortatur, vt tales qui publice, & solemniter contraxerunt in eadem domo non habitent ante benedictionem. Cum ante diceret de pœna inferenda contrahentibus, sine solemnitate, præcipit sancta Synodus, &c. Manet ergo, hoc consilium esse, & non præceptum. Et sic non obligare ad culpam in eadem cohabitare domo ante solemnem benedictionem, Sicut & hortatur, & tanquam consilium proponit, & non vt præceptum, vt antequam contrahunt publice coniuges sua peccata confiteantur, & Eucharistia sacrosanctum sacramentum sumant. Sicut ista sub consilio posita sunt: & vim præcepti non habent, Sicut etiam ante benedictiones nuptiales in eadem domo cohabitare: post solemne contractum matrimonium de quo infra.

8. conclusio. ¶ Parochus siue sacerdos secularis, siue regularis, qui non sibi subditos matrimonio coniunxerit, vel post contractum benedixerit sine licentia proprii Parochi illorum qui sunt coniungendi, seu benedicendi, ipso facto est suspensus, quousque à suo ordinario absoluat. In hac conclusione declaratur pœna, in quam incurrit minister, qui alienum, seu non sibi subditum sine licentia proprii sacerdotis coniungit in matrimonio, vel nuptias benedicit, & pœna est suspensionis. Patet expressis verbis decreti. Vbi ait ipso iure sit suspensus. Itaque suspensio non est solum si coniungat, & benedicat, sed est sub disiunctione, si solum coniungat non sibi subditos, pœnam incurrit suspensionis. Et si non coniungat, sed coniunctos benedicat absque licentia proprii Parochi, etiam est suspensus. Et hoc quousque ab ordinario absoluat.

Corol. ¶ Ex quo inferitur, quod si in nouo orbe religiosus quicumque sit ille, virtute priuilegiorum Leonis 10. & Adriani 6. quibus ante vsi sunt in copulandis neophytis in matrimonio, & nuptijs eorum benedicendis, modo etiam vteretur, esset suspensus ipso iure. Quia dicitur ibi, quicumque sacerdos, siue regularis, siue secularis, non obstante priuilegio, & immemorabili consuetudine. Ergo priuilegio derogatum est, per sanctum concilium, & alicuius valoris non mansit in hoc: quia qui dedit priuilegium auferre potuit. Summus Pontifex concessit religiosis, vt possent matrimonio copulare, & nuptias benedicere, ergo Pontifex, qui tantam habet potestatem sicut præcedens, qui successit, potuit reuocare, sicut & de facto reuocauit. Neque possent consuetudine illa, qua à principio conuersionis Indorum habuerunt, se ipsos defendere à suspensione, quia per sanctum Concilium Tridentinum reuocatio expresse facta est cuiuscunque priuilegij.

9. conclusio. ¶ Nona conclusio. Religiosi in nouo orbe ex priuilegio, & noua concessione

sione facta per sanctissimum Papam Pium Quintum, qui modo feliciter ecclesiam vniuersalem gubernat, pro illis qui conuersioni Indorum intendunt, possunt coniungere matrimonio, & nuptias benedicere sine hoc quod in pœnam incidant suspensionis. Patet, quilibet sacerdos de licentia proprii potest in matrimonio coniungere, potest & benedicere, de licentia ordinarij: Ergo & poterunt religiosi de licentia Summi Pontificis, quia ipse primus proprius sacerdos, & ordinarij ordinarij: Et omnes ab ipso habent iurisdictionem ordinariam. Quod fuerit concessum patet ex priuilegio, vt supra diximus ad instantiam Regis Catholici Philippi 2. in quo priuilegio specialis mentio de matrimonio facta est, vt possint religiosi eo modo, quo ante Concilium Tridentinum poterant, de quo vide quæstio. 3. in expositione Clementina: religiosi de priuilegijs, & in expositione priuilegij Leonis 10. quæst. 3. Et in fine ponitur priuilegium Pij V.

¶ Hic consideracione dignum est, quod in superioribus adnotauimus, quod de alieno sacerdote dictum est, quod sit ipso iure suspensus. Nam si proprius sit, qui coniungit, vel benedicit, etiam si non seruet formam per scriptam in concilio, licet sit suspendendus, vel alia pœna afficiendus: ipso iure suspensus non est. Quia solum de alieno loquitur. Ob id si proprius sacerdos, sine publicatione iungat, si tamen coram testibus, erit validum matrimonium: & non est ipso facto suspensus: & si proprius sacerdos coniungat sine testibus, licet irritum sit matrimonium, & grauius peccet, vt dictum est: & ad arbitrium ordinarij sit puniendus: non tamen est ipso iure suspensus. Quia solum suspensus ipso iure declaratur, non proprius sacerdos, qui non sibi subditos coniungit in matrimonio, vel benedicit: Sed venit suspendendus, sicut olim ante Concilium Tridentinum per triennium ab officio: ex textu communiter intellecto cum inhibitione de clandest. matrimonio, & Præpositus ibi Abb. & alij, in c. latores, de cler. excomm. minist. de quo vide Couart. in 2. p. Epit. to. 4. cap. 6.

DUBIUM XII.

Dubium 12. ¶ Vbitatur. 12. Circa illa verba habeat Parochus librum, in quo coniugum, & testium nomina, diemque, & locum contracti matrimonij describat, quem diligenter apud se custodiat.

¶ Dubium inquam est, an Parochus teneatur librum tenere, vbi describat coniugatos, vt fidem facere possit in iudicio, & extra iudicium, vel sufficiat describere quomodocunque.

¶ Videtur, quod tenetur librum habere, vt fidem facere possit in iudicio; quia ideo præceptum est, vt scribat coniugatos, & testium nomina,

21. d. c. in nouo, & 6. q. 1. c. imitare & 8. q. 1. c. in scripturis. Palu. d. 17. q. 3. art. 2. Aluarus de plantu ecclesie lib. 2. art. 11. Ludouicus Ro. singul. 262 39. d. c. precipimus. Brunus de legatis lib. 5. cap. 8.

Dubium 12.

vt possit constare in foro exteriori de coniunctione facta. Sed ad hoc requisitum est authentice, & iuridice, fiat ergo.

¶ *In contrarium est, quia dicitur in concilio, vt describat.*

1. propositio. **P**rima propositio. Sacerdos proprius tenetur in libro scribere coniuges, secundum nomina propria, & cognomina, & testes, &c. Diem & locum. Patet, quia sic in concilio expressum est, & iniunctum: ergo tenetur; nam verba ibi expressa non imponuntur de consilio, quia non dicit, hortatur sancta Synodus, sicut dicit quando de confessione coniugum loquitur: Sed dicit habeat sacerdos apud se, quod verbum in iure, & in materia de qua est sermo, praeceptum innuere videtur, alias frustraria essent verba.

2. propositio. ¶ **S**ecunda propositio. Sufficit simplex in libro descriptio coniugum, & testium, loci & diei, quae fideliter per ipsum Parochum fiant, neque alia per tabellionem seu notarium requisita authentica est. Probat, quia cum haec sint oneris & odiosa amplianda non sunt ad casus non expressos. Sed in concilio solum dicitur, quod librum habeat ubi describat: ergo sufficit quomodo cunque describere, vt memoriae deseruiat, etiam si in iudicio fides non esset in foro contentioso adhibenda. Quia simpliciter describere describere est, non ergo amplius est requisitum; & non video quare plena fides etiam in foro contentioso non esset adhibenda huic scripturae cum ex mandato sancti concilij a Parocho sit scripta.

3. propositio. ¶ **T**ertia propositio. Ad hanc in libro descriptionem, non solum Parochus obligatur, sed etiam regularis, qui in nouo orbe, vel alibi ex priuilegio habet vicem proprii Parochi. Patet, quia ubi eadem ratio, & idem ius; sed eadem est ratio apud religiosum, qui ex priuilegio sanctissimi Papae Pij Quinti, in nouo orbe coniungit, aut benedicit, neophytos: quae est proprio sacerdotis. Ergo sicut proprius sacerdos tenetur, vt in prima propositione dictum est, & tenetur religiosus, qui ex commissione, & peculiari priuilegio id facit. Quod volo noverent religiosi, ne putent ab hoc esse exemptos: non enim sunt, immo tanto per amplius ad id exequendum tenentur, quanto minus eis ex officio incumbit. Et qui sentit commodum, & damnum sentire debet (iuxta regulam) vt si commodum reputemus hanc specialem concessionem posse coniungere in matrimonio absque suspensionis poena, & damnum (si sic vocandum est) & onus (si onus dicendum est) sentiat: conscribendo in libro quem apud se seruet, omnes illos qui coniunguntur, & diem, & locum. Et quanto amplius maior multitudo, & magis timetur confusio; maior eis incumbit in hoc diligentia, & praelati Prouintiales religiosorum tenentur de hoc inquirere, & executioni mandare. Patet ex dictis solutio, ad id quod in contrarium.

DUBIUM XIII.

Dubitatur 13. Circa illa verba praedicti decreti; sancta Synodus hortatur, vt antequam contrahant, vel triduo ante consummationem matrimonij, sua peccata diligenter confiteantur, & pie ad sumendam Eucharistiam accedant. Dubium inquam est, an sit praecipuum de confitendo ante celebrationem matrimonij, vel consummationem eius. Et similiter de communione.

¶ Videtur quod sit praecipuum; si id non esset praecipuum, sed solum consilium, esset solum ob verbum ibi expresse positum in decreto, hortatur sancta Synodus, in quo verbo admonitio, & non praecipuum manifestatur: Sed hoc non obstat, quia aliquando in iure verba confunduntur quo ad suam significationem, quia mando aliquando ponitur precando, seu hortando, ar. cap. mandastis 2. q. 2. Vbi Episcopus mandat Papae, sicut etiam rogo, aliquando praecipue sumitur, Vt 1. 1. q. 1. cap. rogo, sequitur ergo quod ex verbo hortamur in praesentiarum non potest certo colligi consilium esse, & non praecipuum. Et mando in cap. priuilegiarius 24. q. 3. Vti notat ibi glossa solum exhortationem significant.

¶ *In contrarium est communis intelligentia, vt verbum hortamur, in sua propria significatione sumatur.*

Pro solutione notandum, vt colligi potest ex S. Antonino 2. p. tit. 4. c. 2. Nota. Et ex Panor. in cap. clerici officia, de vita, & honest. clerico. & glossa Geminiani in cap. vt animarum, de constitutionibus, in 6. & Ioan. Andr. in cap. relatum ne Cleri. vel Monach. dantur nonnulla signa ad cognoscendum, quando materia est praecipua, vt quia de necessarijs ad iustitiam, vel charitatem, vel diuinam reuerentiam, & sic est praecipuum; Si vero non constat de materia, & constat de voluntate instituentis, quod fuerit praecipua: erit praecipuum. Quia intentio praeponderat verbis; & quando nullum istorum constare potest, ad poenam, si imponitur transgressoribus est attendendum, quia si imponitur excommunicatio lata, vel ferenda, praecipuum est 1. 1. q. 3. c. nullus, & c. nemo Episcoporum. Et de sententia excommunicata c. 1. in 6. Et similiter si ponitur poena suspensionis, depositionis, vel interdicti, & similiter si indignationis omnipotentis Dei, & maledictionis. Patet, de statu regularium, cap. vnico in 6.

¶ Secundo notandum, quod consilium a praecipuo differt: per hoc, quod consilium non est de necessarijs ad salutem; Praecipuum sic, & consilium ordinatur ad praecipuum, vt medium ad finem. De quo S. Tho. quolibet 4. q. 12. & 2. 2. q. 80. Et vide 1. 2. q. 99. art. 5.

¶ Tertio aduertendum, quod non omne, quod per verbum imperatiuum ponitur,

Nota.
S. Anton.
Panor.
Ioan. Andr.

5. Thom.

3. not. d. 1.

ponitur,

ponitur, importat præceptum. Quia fere omnia consilia Euangelica posita sunt per verbum imperatiuum, vt patet ex Matthæo: Omni petenti te tribue, & qui percusserit te in vna maxilla præbe ei alteram. Et si quis contendat, & petat tunicam da ei & pallium, &c. In quo deficit Abb. in cap. vestras de cohabitatione clericorum, & mulierum; qui absolute contrarium dixit. Et quamuis in iure Canonico diffinitum videatur, vt colligitur ex Clementina exiui de Paradiso §. cum autè, quod quæ statuuuntur in iure per verbum præcepti, aut æquipollentis præcepto ad mortale obligent, non est sic intelligendum in lege diuina semper, vt ad mortale obliget. Nam Christus Redemptor noster ab eo resectis discumbere præcepit, & Apostolis iussit apponere, & curatis infirmis præcipit, vt nemini dicerent, sed tamen non voluit Christus Redemptor noster ad mortale obligare, sed si obligatio, venialis videtur.

¶ Et verbum oportet, aliquando dicit præcepti necessitatem, vt in 6. cap. de præscriptionibus, & aliquando congruentiam, & honestatem, vt 25. quæst. in cap. 1. Quapropter non oportet recensere inter verba æquipollentia præcepto. Sicut adnotauit Alphonsus de Castro, in suo de lege pœnali cap. 5. documento 4. contra Ioannem de Medina in suo Codice de pœnitentia, quando de ieiunio sermonem fecit.

¶ Prima conclusio. Coniuges, ante solemnem coniunctionem in matrimonio, quæ præsentè Parocho, & testibus ex præscripto sancti Concilij fieri debet, ad contritionem peccatorum tenentur, sub mortali, si in mortali sint. Probat hęc conclusio. Ad omnia sacramenta ecclesiæ iuste recipienda, quilibet ex præcepto tenetur sine obijce peccati mortali esse: Sed sacramentum matrimonij ecclesiæ sacramentum est vnum de septem, in quo datur gratia digne recipienti, sicut in alijs sacramentis: ergo sequitur, quod coniuges tenentur per contritionem se disponere. Maior est axioma Theologicum omnibus probatum. Nam si ad vasa Domini portanda, olim munditia requisita erat: à fortiori ad sacramenta digne recipienda, nam mundamini qui fertis vasa domini, olim in lege dictum est. Et minor est notissima, & fide tenenda, & ab ecclesia sancita, & expresse determinata in concilio Florentino, & diebus nostris in Tridentino, & licet olim ab aliquibus Catholicis fuerit controuersum, an matrimonium gratiam conferret, modo tamen nulli Catholico dubitare licet absque crimine hæreseos. Cum ergo ita res se habeat, & disponi homo (conscientiam mortalis habens) non possit, nisi per contritionem, quia

nisi pœnitentiam egeretis simul peribitis; & in quacunque hora peccator ingemuerit peccatum suum, amplius non recordabor, &c. Dixi per contritionem, quæ vere sit contritio, vel existimata talis, quia stat cum susceptione sacramenti ex attrito contritum fieri. Neque dubium est, sacrilegum esse hominem, qui sciens ad sacramentum ecclesiæ recipientem accedit cum conscientia peccati mortalis. Et ex hoc sunt auctores

Caieta-

Caietanus, & alij, vt contendant matrimonium per procuratorem contractum, sacramentum non esse ea ratione, qua gratiam cum conferat, requirat suscipientes dispositos, & scientes recipere. Quod in tali matrimonio per inter nuncium celebratum deficere constat. Cum dormientibus coniungendis, vel in peccato mortali perseverantibus: aut altero ipsorum, per nuncium matrimonium perfici existimabant, contrarium opinantes. Quamuis modo per diffinitionem concilij huic controuersia finis sit impositus. Maneat ergo pro certo diffinitum, coniuges ante matrimonium percipiendum disponendos per contritionem veram, aut talem existimatam. Et cum sola attritione absque sacramenti susceptionem hominem in gratia constitui non contingat dari, nisi hoc demus dilectioni Dei super omnia quæ virtute peccatorum detestationem includit; & martyrio in quo priuilegium singulare relucet, cum maiorem charitatem habeat nemo, quam vt animam suam ponat pro amico. De quibus alias suo loco. Scio tamen à doctoribus Theologis differentiam poni in dispositione requisita ad baptismum, quod vere de directo ad peccata delenda instituitur, & ad regenerationem; & sacramentum pœnitentiæ, quod pro mortuis: Vt in istis duobus formalis dolor requiritur, quæ tamen ratio par in alijs sacramentis non est, sed suo loco hæc ex professo tractanda: nam aliquibus hæc diffinita non placent.

¶ Secunda conclusio. Coniungendi in matrimonio, neque ante susceptionem sacramenti matrimonij, neque ante eius consummationem, ex præcepto ad confessionem sacramentalem tenentur. Probat, quia si essent obligati maxime ex verbis decreti, & concilij citatis, Sed ex ipsis non constat tale præceptum: Patet, ex verbis expressis non constat, quia non est verbū præcepti, neq; æquipollens: immo est verbū, quod consilium importat, scilicet hortatur sancta Synodus, &c. Vbi ergo consilium, & adhortatio non videtur præceptum, necessario affirmare.

¶ Secundo, si esset præceptum de confessione quando verbis constare non posset, oporteret id ex pœna apposita intelligere; vt in principio notatū est: Sed in decreto non est aliqua pœna apposita transgressoribus, sequitur non esse præceptum.

¶ Et valde considerandum, quod ad contritionem præuiam non est adhortatio immo nullum est verbum positum, quod faciat mentionem de contritione: & de confessione cum sit mentio, fit per verbum hortatur, vt Spiritus Sanctus per Patres in Concilio Tridentino loquens det nobis intelligere primum sub præcepto compertissimum, vt explicatione non indigeat, scilicet, vt doleant de peccatis: Confessio tamen, quia sub obligatione non erat, tanquam salutare consilium est appositum.

¶ Tertia conclusio. Si coniugati sumere debent Eucharistiam, vocalis confessio ex præcepto necessario debet præcedere. Probat hęc conclusio ex ecclesiæ determinatione in Concilio Tridentino sessione 13. cap. 7.

Caietan,

S.Th. 3. p. q. 68. ar. 4. ad 2. Sot. in 4. d. 12. q. ar. 4.

2. conclusio.

3. conclusio.

cap. 7. In hæc verba communicare volenti reuocandum est in memoriam eius præceptum, Probet seipsum homo: Ecclesiastica consuetudo declarat eam probationem necessarium esse, vt nullus sibi conscius mortalis peccati vis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat, &c.

S. Tho. in 4. d. 16. & 17. q. 3. ar. 1. q. 4. Scot. Dur. Palud. d. 9. & 17. Panor. Ricardus.

¶ Et quidem ratio ad conclusionem sufficientissima, in concilio declaratur ecclesiastica consuetudo, quæ à tempore Apostolorum emanasse videtur. Quod antiqui, & probatissimi sancti Doctores probant.

¶ Hæc sic antiquorum Theologorum cõmunis intelligentia est, Vt Caiet. singularis videatur incedere in summa, & in 3. p. q. 80. art. 4. & super illa verba 1. Corinth. 11. Probet autem seipsum homo, &c. Et si ante Caiet. Panor. extra de celebratione missarum c. de homine, & Ricardus d. 17. art. 3. q. 6. in 4. idem affirmare videantur, sed tamen modo nullo pacto hoc defendi potest, cum per sanctum Concilium fuerit prohibita talis defensio, & nullum prorsus remanet conclusionis dubium.

¶ Doctores qui pro veritate adduci possunt legat, qui voluerit apud Magistrum Soto, in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 4. videat, & Castro, in summa de hæresibus, lib. 6. verbo Eucharistia hæresi. 10. & si nimius videatur Zamorensis, in Caieta. eum in cathalogo hæreticorum hæreticis annumerando: Nam sine nota hæresis ante ecclesiæ determinationem potuit illam suam, quantum vis singularem opinionem Caiet. defendere.

¶ Manet ergo declaratum decretum concilij in hac parte, de præparatione requisita ante coniunctionem hanc matrimonialem: in quo maxime fideles monendi, ne tam barbare, & insolenter, & irreuerenter accedant, ac si sacramentum ibi non esset: & solum res ageretur prophana, & non sacra. Ex quo & hæretici sui erroris ansam desumpserunt, & negandi sacramentum coniugij, & gratiam, quæ ibi (si non ponatur obex) confertur, ex opere operato, sicut in cæteris sacramentis. Et ad memoriam reuocare liceat illud Thobix. 8.

Thobix 8. ¶ Cum Thobias accepit Saram in vxorem, dicitur tunc hortatus virginem, dixitque ei Sara exurge, & depræcemur Deum hodie, & cras, & secundum cras, quia his tribus noctibus Deo iungimur: Tertia autem tractata nocte in nostro erimus coniugio. Filij quippe sanctorum sumus, & non possumus ita coniungi, sicut gentes quæ ignorant Deum. Hæc Thobias, quibus verbis vnice instruuntur Christiani, quo pacto disponi debeant ante coniunctionem hanc: & orationibus sit agendum, & instandum: vt felicem fortiantur societatem, Vt scilicet Deo seipsos reconcilient (si conscientia mortalis sit) per dolorem de peccatis, propter Deum offensum. Vt si non sit contritio, sit tamen attritio existimata contritio. Et consiteantur sua peccata, vt si forte dolor perfectus non erat, sacramento perficiatur, & sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum sumant: & sic coniungantur sancti, vt filij sanctorum, & non velut ethnici infideles, qui extra ecclesiam sunt, quorum damnatio certa est.

DU-

D V B I V M X I I I I.

Dubit. 14. Vbitatur 14. Circa illa verba decreti decernit sancta Synodus, vt huiusmodi decretum in vnaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, à die primæ publicationis in eadem Parochia facta, numerandos.

¶ Dubium inquam est, an hoc sacrosanctum decretum à die constitutionis obligauerit, sed tamen à transgressione fuerint liberi, qui nihil audierunt.

¶ Et videtur, quod sic, nam lex diuina Euangelica à Christo lata, & de baptismo, & de alijs sacramentis; Item de reuocatione matrimonij ad pristinum statum, vt vna vnus esset, & repudium nullatenus concederetur, vt in lege scripta, statim à passione Christi vim habuit obligandi: quamuis transgressores per ignorantiam excusamus. Vt patet de baptismo, qui fuit obligatorium statim à promulgatione. Et patet in cap. gaudemus. de diuortijs, vbi si infidelis conuertitur ad fidem, primam quam habuit debet sibi copulare, etiam si eam repudiauerat, & non nisi vnã retinere potest, quod non esset si lex non haberet vim obligandi ante promulgationem, quia pono modo veniat in notitiam infidelis lex Christi, & statim audito præconio Christi conuertitur, &c. Vt late disputatur in 2. p. huius operis.

¶ Secundo, quia si non obligat vsque ad promulgationem in Parochia propria, fidelis qui apud infidelis est, vbi nulla facta est huius decreti promulgatio, etiam si alias non ignoret decretum, poterit sine Parocho, & testibus matrimonium contrahere, dummodo alias nullum sit impedimentum. Quod tamen videtur falsum, vt supra in dubio proprio disputatum est.

¶ Item, tertio eodem modo, si lex hæc de matrimonio non habuit vim statim quando est condita, sed obligatio est dilatata vsque ad promulgationem in Parochia: ergo fidelis non ignorans statutum, quia scilicet erat præsens Tridentini quando canon est conditus; veniens postea in patriam suam, vbi non est facta promulgatio, posset non obstante concilio contrahere vt ante, & teneret sine testibus, & proprio sacerdote. Sed hoc videtur inconueniens, ergo.

¶ In contrarium sunt verba decreti aperta.

Pro solutione dubij notandum, quod ad vim legis inter alia requisita vnum est, quod promulgetur; patet ex cap. in istis d. 4. Nam cum lex regula sit actionum nostrarum oportet applicetur regulandis, quod per promulgationem contingit, vnde l. leges C. de legibus, & consul. dicitur

F leges

Dubit. 14.

1. Nota.

S. Tho. 12.

q. 103. ar.

4.

1. Nota.

S. Tho. 12.

q. 90. ar. 4.

& in 4. d.

3. ar. 5. q. 3.

leges sacratissimæ quæ constringunt hominum vitas, intelligi ab hominibus debent, & patet in c. ad hæc, de postula. prælatorum, & de constitu. c. cognoscentes.

2. notan. ¶ Secundo notandum, quod ad promulgationem, cum primo est promulgata in curia, vel regni Metropoli, obligat vniuersos licet à culpa ignorantibus excusari possint, & quod Cæsarea lex in singulis prouincijs diuulgari debeat, & Romana sufficiat Romæ, asserit Panor. in c. nouerit de sententia excommunicationis, & Siluester, in verbo lex q. 6. Hoc tamen intelligitur quando lex ipsa tempus obligandi non adducit. Omisissis ergo alijs quæ in propria materia tractari solent ad dubium.

1. conclusio. ¶ Prima conclusio. Huiusmodi decretum, tum quantum ad illa quæ seruanda sunt, quæ non sunt de essentia contractus: tum quantum ad illa, quæ de eius substantia sunt: & alias contractus irritus, & nullus: vim obligandi non habuit statim cum primum Tridentini in concilio à Patribus statutum est. Patet ex verbis expressis eiusdem decreti, ubi ait quod post 30. dies ab eius publicatione habeat robur, ergo non habuit vim, & robur statim cum primo canon est conditus.

2. conclusio. ¶ Secunda conclusio. Post promulgationem factam in prouincia in Cathedrali obligat post 30. dies, non tamen obligat per omnes ecclesias Diocesis. Hæc dubia esset, si verba expressa in decreto non essent, ut scilicet sufficeret promulgatio in prouincia in Cathedrali ecclesia. Nam si sufficeret Romæ promulgatio quando lex est Papalis, & in loco concilij quando statutum est, à fortiori sufficeret si in Cathedrali ecclesia in aliqua Diocesi solemniter publicatio facta esset. Sed tamen non sic de isto statuto, Eo quod sunt verba expressa, quod solum habeant vim obligandi post 30. dies, à die promulgationis factæ in eadem Parochia. Ergo ante non habet vim.

3. conclusio. ¶ Tertia conclusio. Decretum hoc (de matrimonio tam solempne conditum in Concilio Tridentino, tunc solum obligat quando publicatum est seorsum in Parochia, post 30. dies à publicatione facta. Hæc patet ex expressis verbis statuti. Voluerunt Patres concilij huius legis sufficientissimam promulgationem fieri: & non confuse, neque in generali, sed particulariter, ut ad omnium aures veniret statutum: nam & si in legibus non irritatorijs sufficeret illa solemniter promulgatio Romæ: & tunc obligare, ut Panor. docet in cap. cognoscentes de constitutionibus, Tamen quando irritatio gradum est, vel personarum, ut in matrimonijs, periculosum esset, si statim vim haberent obligandi ante sufficientem promulgationem. Ob id per quam sancte in concilio tempus diffinitum, post quod obliget.

Carrollarium. ¶ Ex istis inferre licet, quod si quis Tridentini, cum esset non ita quidem statutum; post tamen in patriam reuersus contraheret clandestine, matrimonium non esset irritum. Patet, quia nondum promulgatio facta est,

est, & similiter, si quis certo sciret in Cathedrali ecclesia diuulgatum statutum non tamen in suo oppido, neque in sua Parochiali ecclesia, etiã posset se habere illo modo quo ante. Quia nondum habet vim obligandi, neque personæ sunt inhabiles ad sic clam contrahendum ante publicationem. Immo etiam facta publicatione in Parochia, intra diem 30. adhuc non esset irritus contractus. Patet ex verbis statuti, quibus standum. Quia cum sit lex quæ irritat, & valde odiosa, cum rigore, & strictissime intelligi debet.

¶ Ad primum in contrarium libere concedimus legem Christi, quia vniuersalis legislator est Christus, statim habuisse vim legis, & obligandi rationem, & per ignorantiam excusatur ante promulgationem. Secus est de lege humana, maxime quando sunt verba expressa in lege ex quibus constat de intentione legislatoris. Et similiter, si Christus Redemptor noster tempus in suis legibus apponeret, ante quod neminẽ vellet obligare, non obligasset lex nisi ab illo tempore.

¶ Ad secundum, quod difficultatem habet superius ex proposito dictum est, dici posse, talem nullo modo teneri ad statutum; & si probabile appareat si notitiam habuit, quia non potest in Parochia fieri promulgatio obligari, quando notitiam habuit decreti, rationi consentaneum videtur, & iuxta verba statuti probabiliter dictum non obligari magis quam si tale decretum institutum non esset, quia Patres in Concilio, qui potuerunt legem concedere, & modum potuerunt imponere, quomodo ligare, & quando deberent obligare. Et quia huic, promulgatio facta non est statuti: quandiu non fuerit subsecuta promulgatio, manet deobligatus. Et eo modo contrahere potest alijs seruatis quomodo poterat ante Concilium Tridentinum, sine Parocho. Quia habere non potest, & sine testibus, si adhibere nolit hoc debet intelligi, si non fuit quando promulgatio facta est in Parochia apud fideles. Quia talis si post captiuus esset apud Thurchas maneret sine remedio in matrimonio.

¶ Neque mirum cum etiam maneret sine alijs sacramentis necessarijs: nam neque posset confiteri. Neque Eucharistiæ sacramentum suscipere, neque confirmari, &c. Ad tertium solutio satis constat ex dictis.

¶ Hic finis est expositionis totius decreti de clandestinis matrimonijs. Esset hic quæstio mouenda, & amplissima, amplissime tractanda. An ecclesia potuit iure suo vtens huiusmodi personas, alias habiles, & legitimas, illegitimas reddere ad sic clandestine contrahendum. Verum & si à multis viris doctis, & Reuerendissimis Episcopis in Concilio existentibus, id fuerit dubitatum, & controuersum, iam ab ecclesia diffinitum, & determinatum ita est, ut Catholico dubitare non liceat, neque in controuersiam adducere; unde in Canone 4. in sessione 24. Hæc verba habentur. Si quis dixerit ecclesiam non potuisse instituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in ijs constituendis errasse, anathema sit. Et

S. Tho. 3.
p. q. 60. ar.
2.

ce qualiter diffinitum est, & quod potest impedimenta apponere matrimonio dirimentia, sicut potuit inhabiles reddendo personas ad occultè contrahendum, irritando, & annullando tale matrimonium: cum ante hanc determinationem esset matrimonium clandestine contractum, ratum, & legitimum sicut ab eodem Concilio diffinitum est, in principio, in c. 1. non ergo ecclesia Catholica errauit in hoc, neque errare potest, quia spiritum sanctum habet gubernatorem: nec hoc faciens ecclesia mutationem facit, circa substantiam sacramenti: quia sicut, & nouum sacramentum instituere non potest, quia talem potestatem non habuit à Christo, sic nec substantiam mutare; sed tamen habet potestatem in aliquo sacramento præuium, & cum personæ quæ contrahere debent matrimonium, aliquid sit præuium; & quod palam fiat, & non in occulto etiam de præuijs sit, potest ecclesia, & congruentissime. Hoc ecclesiæ datum est, vt discernere posset inter personas quæ deberent contrahere, & modum quo nam, cum in matrimonio sit obligatio non ad horam, vel annum, sed perpetuo vsque ad mortem vinculum indissolubile, consentaneum fuit hoc maturo iudicio perpendendum, & non temerè contrahi debet. Sicut, & in voto solemnium etiam perstringit, quomodo, & quando vinculum teneat indissolubile, quia traditio non ad tempus, sed vsque ad mortem est. Et quia in alijs sacramentis à matrimonio hæc non militat ratio, cōuenientissime de matrimonio tā peculiaris, & vsque ad minima quæq; ab ecclesia ratio habita est. Et quia contractus est humanus, quod vt diximus in alijs sacramentis non est.

DE COGNATIONE SPIRITUALI.

Appendix
ad illa que
de cogna-
tio spiri-
tuali ab ar-
ti. 55. per
nonnullos
arti. dicta
sunt in l. 1.
p. speculi.

STATUIT sancta Synodus, vt vnus tantum, siue vir, siue mulier, iuxta sacrorum Canonum instituta, vel ad summum vnus, & vna baptizatum de baptismo suscipiant, &c.
¶ Quæ ergo sunt de nouo consideranda, & iuxta Concilij decretum addenda, vel mutanda, vel restringenda ad illa, quæ antiquitus de cognatione spirituali, & à nobis adducta in proprio loco, in prima parte art. 56. sunt hæc.
¶ Primum sancta Synodus statuit, vt in baptismo solū sit vnus, siue vir, siue femina, qui de fonte leuet, quæ patrinū vocamus, & ad summū vnus, & vna.
¶ Itaque sancta Synodus non amittit plures patrilos, viros, vel mulieres; quia si duo adhiberi debent, vnus debet esse vir, & alter femina.
¶ Secundum quod ait est, quod inter huiusmodi suscipientem, vnum vel duos, inter baptizatum, & patrem, & matrem baptizati, & suscipientem, sit cognatio spiritualis.

¶ Hæc

¶ Hæc non sunt de nouo, sed secundum iura antiqua ita dispositum est, vt patet in proprijs titulis in decretalibus, & in 6.
¶ Tertium, quod inter baptizantem, & baptizatum patremque, & matrem eius, sit etiam cognatio spiritualis, hæc etiam sunt secundum ius commune.
¶ Sed quod addit nouum est, quia dicit, tantum, ita quod non est fraternitas, quæ solebat esse inter filios baptizatis, & leuantis, & ipsum baptizatum. Sed solum ille primus gradus cognationis spiritualis manet: & ceteri amplius exclusi sunt. Et ob id nullum ad contrahendum matrimonium impedimentum est.
¶ Quartum quod statuitur est, vt Parochus antequam baptizet, sciscitetur ab eis, ad quos spectat, quem eligant ad suscipiendum in baptismo, seu ad leuandum de fonte, vel in patrinum, quod idem est, & vnum, vel duos, si eligant solum ad suscipiendum in baptismo admittat: alij seclusis.
¶ Quintum iniungit, vt Parochus in libro describat nomina eorum, qui leuant, de fonte, & baptizatum, & eos doceat cognationem spiritualem quam contraxerunt; vt nulla ignorantia excusari valeant.
¶ Sexto statuit sancta Synodus, Quod si alij assistentes baptismo attigerint, vel tetigerint baptizatum, ob hoc nulla cognatio spiritualis insurgat, neque aliquod oriatur impedimentum pro matrimonio contrahendo. Quia tales non habentur, vt patrilos, sed solum ille vnus, vel alter, qui fuerint selecti à Parocho antequam ad baptismum procederet. Et hoc diffinit sanctum Concilium, non obstantibus quibuscumque in contrarium constitutionibus.
¶ Septimo statuit, quod hæc seruentur, Et si Parochi negligentia factum fuerit, ad arbitrium ordinarij talis Parochus puniatur.
¶ Octauo statuit sancta Synodus simile in confirmationis sacramento, vt cognatio spiritualis quæ in confirmatione oriri solet, non se extendat amplius nisi solum ad confirmantem, & confirmatum, illiusque patrem, & matrem, ac tenentem ad confirmationem. Hæc in c. 2. & addenda veniunt ad supradicta, vt diximus tanquam de nouo restricta, & ordinata.
¶ Est hic etiam aduertendum, quod & si cognatio spiritualis olim extendebatur ad uxorem cognitam carnaliter, vt patet extra eod. tit. c. maritus, & in 6. eod. tit. c. vnico. Vt latè probatum est in art. 56. in l. 1. p. Speculi. post Concil. Trident. non extenditur. Quod patet, eo quod sanctum Concilium voluit restringere gradus cognationis spiritualis: & cum solum expressa fiat mentio de cognatione inter baptizantem, & baptizatum, & patrem, & matrem eius, & inter leuantem, & baptizatum, &c. & nulla sit mentio de uxore cognita, Non est talis cognatio extensa ad eam: ob id, & si Petrus leuans, vel baptizans cognatus sit leuantis, seu baptizati: non tamen uxoreius. Et quia ista in fauorem matrimonij posita sunt, oportet sic ampliare.

¶ Etiam

Pij Quinti declaratio. ¶ Etiam est singulariter notandum, quod S. Papa Pius V. anno 1566. anno 1. sui Pontificatus ad dubium quoddam propositum. An scilicet personæ quæ contraxerunt ante Concilij confirmationem, in gradu olim prohibito, indigerent dispensatione post confirmationem Concilij, cum ante non valeret matrimonium. Summus Pontifex in quodam proprio motu declaravit, quod tales licite manebant in matrimonio sine alia dispensatione, dummodo essent coniuncti, in illis gradibus cognationis spiritualis, qui modo exclusi sunt in quibus potest matrimonium stare. Ut si. V. G. filius tenentis in baptismo, contraheret cum tertia, seu baptizata à patre, etiam si ante confirmationem Concilij Tridentini, nullum erat matrimonium, Vult Summus Pontifex, quod absque dispensatione aliqua, post confirmationem Concilij maneat in matrimonio. Eo quod ille gradus modo prohibitus non sit.

Appendix ex Conci. Tri. ad illa quæ de publica honestate olim.

¶ Ad illa quæ de publica honestate, in iure olim diffinita, & latè tractata per nonnullos articulos, à 51. articulo incipiens in prima parte est addendum.

IN cap. 3. sessionis prædictæ 24. de publica honestate loquens. Iustitiæ publicæ honestatis impedimentum, vbi sponsalia quacunque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit.

¶ Vbi sponsalia valida sunt, sancta Synodus discernit impedimentum publicæ honestatis, non extendi ultra primum gradum.

¶ Hæc sunt notanda: nam olim in sponsalibus contractis post septennium inter consanguineos, vel affines, qui impedimentum ignorabant: etiam si nulla essent, oriebatur prædictum impedimentum. Ut patet ex cap. vnico, in 6. de sponsalibus, vt à nobis probatum est, in articulo 52. Modo est ablatum, itaque etiam si iuris præsumptione valida sint sponsalia, non oritur impedimentum, si modo nulla sint sponsalia, & vbi oritur impedimentum, in veris sponsalibus, non ultra primum gradum progressus est. Cum olim, vt ex iure constet, ad quatuor gradus erat extensus, vt in consanguinitate, & affinitate.

¶ Hic oritur Dubium, an hæc restrictio, quo ad publicam honestatem, vt solum in primo gradu, an etiam intelligatur in matrimonio de præsentibus non consumato. Cum etiam impedimentum ex eo causatum publica honestas vocetur: an solum in sponsalibus de futuro teneat.

Solutio. ¶ Respondetur, quod hoc erat dubium, sed anno 1568. 8. Kalendas Iulij, à sanctissimo Papa Pio Quinto declaratio facta est: Vt restrictio facta in Concilio Tridentino, in sessione 24. cap. 3. circa impedimentum publicæ honestatis, vt non se extendat ultra gradum primum, sit intelligenda solè in sponsalibus de futuro, & quando matrimoniū de præsentibus contractū est, manet gradus, sicut olim vsq; ad quartū, sicut in affinitate.

¶ De

De impedimento affinitatis.

Circa impedimentum affinitatis, quod oritur ex copula illicita, etiā facta est restrictio in hæc verba, in c. 4.

¶ Præterea sancta Synodus, ex grauissimis causis adducta, Impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractum inducitur, & matrimonium postea factum dirimit: ad eos tantum, qui in primo, & secundo gradu coniunguntur, restringit.

¶ In vltioribus vero gradibus statuit huiusmodi affinitatem, matrimonium postea contractum non dirimere, hæc ex concilio.

¶ Ecce quo pacto cum olim ante Concilium Tridentinum, ex æquo currenter gradus affinitatis prohibiti, per legitimum matrimonium, & copulam illicitam: modo tamen restrictio facta est in contracta affinitate per copulam illicitam, solum ad duos gradus.

¶ Sed hic oritur dubium circa verba sancti Concilij, quia ibi restrictio fit in gradibus affinitatis ortis per fornicationem, An etiam sit intelligendum in gradu oborto ex adulterio: nam cum impedimentum oriatur ex omni copula illicita, ita oritur ex adulterio, sicut ex fornicatione, vt 35. q. 1. cap. Nec ea, & cap. discretionem, extra de eo qui cog. consang. vxo. suæ, & c. tuæ fraternitatis, vt in prima p. arti. 47. late.

¶ Non satis mihi compertum est, quid sit diffiniendum: nam pro vna parte est, quod patres in Concilio voluerunt huiusmodi gradus ex illicita copula restringere, & vltimam secundum non extendi, cum non amicitia, sed inimicitia ortum habeant, ex illicita copula. Et sic in vniuersum videatur facta restrictio, siue ex fornicatione, siue ex adulterio, vt vltima secundum non extendatur.

¶ Ex alia parte est, quod sancta Synodus solum ex fornicatione ortam affinitatem restringit: & cum fornicationis copula distincta sit, ab illa quæ adulterij est: videtur quod affinitas orta propter copulam adulterinam maneat in eisdem gradibus, sicut ante Concilium, & solum restrictio facta sit quando fornicaria est copula. Hæc cum sint odiosa, quia contra commune ius restringenda, & non amplianda sunt. Quapropter videtur dicendum, quod restrictio solum facta sit in affinitate contracta ex copula illicita fornicaria, & non quæ ex adulterio. Nam species genus includit directe, cum ex genere, & differentia constet. Et in homine animal intelligitur, non tamen in genere includitur species. Nam qui animal dicit non statim hominem, vel Leonem dicit. Sic etiam cum sancta Synodus solum de fornicatione loquatur, quæ videtur tanquam genus esse ad adulterium, non sequitur, quod eo, quod ex fornicatione coitu, ablatum sit gradus, sit ex adulterio.

¶ Qui vero affirmaret ibidem in fornicatione intelligi, etiam affinitatem ortam

Appendix ad affinitate ad illa quæ ab ar. 47. dicta sunt i speculo p nonnullos articulos.

Dubium.

Solutio.

ortam ex adulterio, etiam habet pro se rationem. Quia ubi adulterium, & fornicatio est. Nam non potest intelligi adulterium, sine hoc, quod illicita copula fornicationis intelligatur. Et adhuc apponitur circumstantia, quæ in speciem aliam mutat, quia ad alienam est accessus, & ob id in adulterio duplex reperitur malitia, & fornicationis, & iniustitiæ, quia ad alienam accedit. Quapropter si restricti sunt gradus affinitatis contracti per fornicationem: & etiam manent restricti, illi qui per adulterium. Quia in adulterio fornicatio etiam est. Et hoc videtur tenendum, scilicet, quod per fornicationem, sancta Synodus omnem illicitam copulam intellexit ad luxuriam spectantem. Neque hic modus loquendi est alienus, à diuinis literis: nam Thobias filio suo consulens ait. Attende tibi fili mi, ab omni fornicatione, ubi per fornicationem omnem intellexit luxuriam, adulterium, stuprum, & incestum, &c. Et Matth. 5. quando Christus Redemptor noster docuit non esse relinquendam uxorem, excepta fornicationis causa, &c. Ibi per fornicationem intellexit adulterium, ut notum est, etiam ad Eph. 5. & ad Coloss. 3. & Actuum 15. & in multis alijs locis fornicatio generaliter, pro omni illicito concubitu sumitur. in presentiarum ergo ita dicendum, & sentiendum, ut verbum illud fornicatio, significet illicitam copulam. Sic quomodocunque affinitas sit orta per illicitam copulam extendi non debet ultra duos gradus. Quamuis illa quæ per licitam, maneant sicut ante per quatuor gradus prohibita.

Thobias. 4.

Matth. 5. & 19.

In fornicatione adulterium intelligitur.

Summi Pontifex de claratio.

¶ Hic etiam erit adnotandum, quod & adduximus de cognatione spirituali, quod summus Pontifex Pius Papa V. anno 1566. anno primo sui Pontificatus declarauit, quod illi qui ante confirmationem Concilij Tridentini contraxerunt in gradu affinitatis, ex illicita copula causato 3. vel 4. quod possint esse, & manere in matrimonio post confirmationem Concilij factam, absque aliqua alia necessaria dispensatione.

¶ Hæc sint notata propter aliquos viros doctos, qui putauerunt legem antiquam in matrimonio, quo ad gradus prohibitos, hic in affinitate, & in cognatione spirituali, in publica honestate: solum fuisse quantum ad vim dirimendi, ut scilicet contractum in eis non sit dirimendum, sed tamen habere vim talem antiquam prohibitionem quantum ad vim impediendi: ita ut necessaria sit dispensatio ad contrahendum, in illis gradibus. Nos vero dicimus huiusmodi viros deceptos, & gradus ablatos à Concilio sic semotos esse, ut perinde sit, ac si non fuissent olim, & quantum ad vim impediendi, & dirimendi, & nullam esse necessariam dispensationem post Concilij Tridentini confirmationem. Et hoc est, quod sanctissimus Papa Pius Quintus declarauit in citata Extrauaganti exemplum ponens in gradibus affinitatis, ex copula illicita contractis, & in gradibus cognationis spiritualis. Et idem dicendum de gradibus in impedimento publicæ honestatis. Et idem responderet Summus Pontifex de publica

publica honestate, si ab eo fuisset quaesitum, sicut respondit de affinitate, & cognatione.

¶ De impedimento raptus sancta Synodus aliqua nouiter disposuit que merito veniunt examinanda, & declaranda, ait in hæc verba.

Decernit sancta Synodus inter raptorem, & raptam, quando ipsa in potestate raptoris manserit: nullum posse consistere matrimonium.

¶ Hoc est nouum, nam olim iure canonico prohibitum non fuit, quod raptor virginem raptam, sibi copulare posset. Extra de raptoribus c. 1. & de adulte. c. 1. & c. placui, & c. de puellis 6. q. 2. Ut late probatum est in Speculo, in prima parte art. 25. Quod intellige de raptore virginis solutæ. Nam raptor alienæ sponsæ ducere non poterat 27. q. 2. c. statutum. Modo tamen in Concilio diffinitum. Ut inhabiles iudicentur, & raptor, & rapta ad matrimonium: non simpliciter, sed quando raptor raptam in sua habuerit potestatem. Nam eo modo quo de clandestine contrahentibus dictum est à Concilio fuisse sancitum, ut sint inhabiles ad sic, clandestine contrahendum: non simpliciter, sed ad sic; eodem modo diffinitur de raptore, & rapta, ut quando rapta fuerit in potestate raptoris, non possit consistere matrimonium.

¶ Secundum, quod dicit sanctum Concilium est. Quod si rapta à raptore separata, & in loco tuto constituta, & libero, voluerit raptorem habere in maritum, poterit raptor eam sibi copulare: ecce quo pacto non fuerunt simpliciter inhabiles declarati à sancto Concilio, sed solum quando non fuerit posita in loco tuto, & libero.

¶ Tertium sancta Synodus dicit de raptoribus, quod raptor, ac omnes illi consilium, aut auxilium, & fauorem præbentes, sint ipso iure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, & si Clerici fuerint, de proprio gradu decident.

¶ Hic considerandum hanc pœnam incurrere, quicumque vere fuerit raptor: siue rapiat virginem, siue solutam, siue nulli desponsatam, siue alteri desponsatam. Quia cum generaliter loquatur sancta Synodus de omni raptore, cum raptor dicatur, qui non suam rapit, siue illa virgo sit siue non, siue coniuncta alteri, siue soluta, sequitur talem raptorem ipso facto excommunicatum. Et non solum ipsum, sed omnes qui consilium præbuere, auxilium, aut fauorem sunt ipso iure excommunicati, est enim canon lata sententiæ, & non ferendæ.

¶ Verum animaduersione dignum est, quod rapere importat violentiam: sicut rapina indicat. Quapropter qui violentiam non intulit feminae, etiam si à domo parentum ipsis nescientibus egrediat, & ad preces, vel persuasiones, vel ad dona viri mota puella, libere sequatur virum suadentem

Appendix ex Conci. Trid. ad illa quæ de raptu in art. 25. in 1. p.

Maio. in 4. d. 29. q. 2. Couar. in 2. p. Epit. in 4. c. 3.

7023

7024

7025

suadentem, non erit talis propriae dicendus raptor, neque ipsa est rapta. Quia non fit ei iniuria si volens, & sciens, parentes deserat, & suadentem sequatur. Quare talis vir, qui precio, vel precibus puellam sollicitaret, ut è domo parentum egrederetur, si egrediatur, & eum sequatur; non videtur, quod ipso facto talis sit excommunicatus, neque qui consilium auxilium, aut fauorem, ad hæc dederunt: nam si raptor non diceretur, alicuius alterius rei neque rapinam committeret, si ab aliquo prece, vel precibus extorqueat, quod habet in sua potestate. Similiter in proposito. Quamvis ex alia parte furtum dicatur committere: quia iniuriosè contra voluntatem parentum puellam secum portat, quæ sub parentum cura posita de se ipsa deliberare non deberet, parentibus in consultis. Itaque, & si talis de quo sermo est aliunde grauitè peccare dicatur, raptor tamen dicendus non est; nisi puellæ, vel parentibus vim inferat, & puellam rapiat: & sic excommunicatus ipso facto non esset.

¶ Consequenter etiam dicendum videtur, quod ille qui puellam sollicitauit, prece, vel precio, per se, vel per interpositam personam, & puella eum sequatur, clam patre, & matre: poterit eam ducere. Si modo fiat præsentè Parocho, & testibus, iuxta diffinita de clandestinis matrimonijs. Neque opus est ad hoc, quod possit consistere matrimonium, quod rapta ponatur in loco tuto, & libero, quia illa prohibitio, seu interdictum, solù intelligi debet quâdo raptor vere raptor est, & dicitur, at ille qui suasionè attraxit raptor non est. Et quod ad raptum proprie necessario violentia debet inferri, vel ipsi puellæ, vel parentibus graue, ut solet explicat Doctor. S. 2. 2. quæst. 154. arti. 7. Vbi asserit ad raptum oportere, ut violentia concurrat: alias si violentia non sit, non erit raptus, neque talis dicitur raptor.

¶ Ecce quomodo quâdo non est proprie raptus matrimonium stare potest, & post Concil. Trid. quia ante Concilium dubium non est. Quo si quis esset raptor, solutæ virginis, vel viduæ, poterat eam habere in uxorem, & quamuis esset impedimentum, quod contrahendum impediret, non tamen dirimit contractum, ut à nobis in articulo 25. in prima parte dictum, & elegantissime doctor Sanctus, in loco citato 2. 2. q. 154. arti. 7. in solutione ad 3. argumentum.

¶ Comprobat ex dictis error Martini de Magistris in suo de temperantia, qui ausus est affirmare, quod raptus sic erat impedimentum ad contrahendum, ut etiam dirimeret contractum. Et nititur id probare ex multis capitulis 36. q. 1. & 2. Et ad probandum adduxit, quod raptor esset ipso facto excommunicatus, & consequenter incapax sacramenti, ob id non poterat esse matrimonium. Probat ex c. si quis, & c. si autem, & c. eos.

¶ Sed tamen fatue locutus est Martinus: nam raptus non est ex illis quæ impediunt,

impediunt, & dirimunt, ut omnes doctores affirmant, & doctor S. in solutione ad 3. in loco citato, & secundum quod affirmat est falsum, quia raptor olim ante Concil. Trid. non erat ipso facto excommunicatus; licet esset excommunicandus. Quia in citatis capitulis habetur, quod talis raptor postquam fuerit probatus talis, excommunicetur. Ut patet in cap. placuit, & in c. si quis. Ad illud quod dicebat, quod excommunicatus esset inhabilis ad recipiendum sacramentum: verum est, quod aliqua sacramenta recipere non potest, Sed tamen de matrimonio non est verum &c.

¶ Relicta ergo opinione Martini, reuerentes vnde sumus digressi, sit pro certo habendum, quod raptus violentiam requirat: & qui vere raptor, est inhabilis, quousque rapta in loco sit tuto, & libero, & ipso facto est excommunicatus per Concilium Tridentinum, & ante non erat. Si vero nullam intulit vim fœminæ, neque parentibus non est proprie raptus. Neque vir dicendus est raptor, neque Concilij determinatio cum eo loquitur.

¶ Sed offert se vnum dubium: an id quod de raptoe dicitur, quod sit inhabilis, &c. Et ipso facto excommunicatus, possit intelligi de fœmina, si rapiat aliquem virum, de domo paterna, ut ei coniungatur in matrimonio. Hoc rarum est, fateor, sed tamen contingere potest, vtrum Concilium se extendat ad fœminam.

¶ Respondetur, quod non est idem intelligendum de puella, si virum trahat, vel rapiat. Primò quia in iure non est expressum, & nunquam fœmina, pœna raptoris punitur. Item quia raro contingit propter imbecillitatem sexus, & pudorem, quod puella virum rapiat. Item quia raptus, est velut medium ad stuprum, at vir non est stupri capax passiuè, sicut fœmina est. Ob id quæ in decreto posita sunt de raptoe; non sunt extendenda ad puellam.

¶ Quartum, quod in sancto Concilio de raptoribus puellarum additur: tenetur raptor Puellam, siue eam duxerit, siue non dotare decenter arbitrio iudicis.

¶ Hic aduertendum, quod & si secundum probatos doctores, puellam consentientem, stuprator in foro conscientie dotare non teneatur, quia volenti, & consentienti iniuria non fit; Si tamen iniuriam infert violentè corrupendo, obligatur in foro animæ ad iniuriam resarciendam, & ad damnum illatum ob amissam integritatem. Verum sanctum Concilium Tridentinum in foro exteriori loquens raptoribus pœnam apposuit de dotatione puellæ: Vbi non attendit, si volens, vel violentia, fuerit à raptoe cognita: neque attedit, si rapta virgo erat, vel corrupta, quia dicit mulierem raptam tenetur dotare, & tenetur dummodo sit raptor. Sed quia hoc pœnale est, ante condemnationem non tenetur. Et quantum assignabit pro dote, ad arbitrium iudicis erit. Quia ei relin-

Nota.
Quis dicatur raptor.

S. Th. 2. 2.
q. 154. ar.
7.

Q. de raptu error Martini de Magi.

Dubium.

Solutio.

Ludovicus Meffia. Nota. quit iudicandum sancta Synodus, vt patet ex verbis expressis. De quo vide doctum iuris peritum Ludouicum Meffiam Pontium de Leon, in suo illo tractatu explicationis pragmaticæ de taxatione tritici concl. 9. num. 18.

¶ In calce vnum consideratione dignum duxi, quod Sanctissimus Pius Papa Quintus, proprio motu decreuit quod in literis dispensationem, super aliquo gradu consanguinitatis, vel affinitatis, aut alias prohibito ponatur clausula, si mulier rapta non fuerit, & si scienter, &c. sunt hæc notanda.

Appendix de vagis. ¶ Sancta Synodus volens remedium apponere circa matrimonium illorum, qui vagi sunt, & certas sedes non habent, Præcepit Parochis in hæc verba.

Primum. Sancta Synodus Parochis præcipit, ne vagantium matrimonijs inter-

sint, Nisi prius diligentem inquisitionem fecerint.

¶ Ecce quo pacto ex præcepto tenetur Parochus ad diligentem inquisitionem, antequam vagi homines admittantur ad matrimonium. Et cum in omni matrimonio, etiam non vagantium, teneatur Parochus iuxta declarata in principio, de publicatione, & inquisitione impedimentorum illorum, qui sunt in matrimonio coniungendi, ad maiorem tenetur cum extraneis, & alienigenis, & ignotis. Ob id graue peccatum esset, si Parochus tales admittat absque examine exactissimo.

¶ Et si vbiçunque locorum, hæc considerare decet ministrum, maxime in nouo orbe necessarium est, quia experientia docuit huiusmodi homines vagos inquietos, facile quocunque ventus spiraret mobiles, duas accipere in matrimonio, affirmantes solutos esse ab vxoribus, cum tamen fallacia deprehendatur. Ob id magna cum difficultate, & raro admitte-
tendos esse censeo. Et in antiquo orbe, & Hispania veteri testis sum oculatus: me vidisse publice pœnitentiam agere ab inquisitoribus damnatum ob id, qui non femel atque iterum viuente propria, & prima vxore aliam duxerat, sed septies in diuersis locis aliam, & aliam in facie ecclesiæ sibi copulauerat.

¶ Secundo, sancta Synodus circa matrimonium eorum qui vagantur, ait, vt re delata ad ordinarium, & declarata ab eo: licentiam obtineant, coniungendi huiusmodi vagos homines.

Nota. ¶ Est consideratione dignum, non esse relictum in voluntate Parochi, vt vagos homines in matrimonio iungat: etiam quantumcunque exactissimam fecerit diligentiam: Sed adhuc inquisitione sufficienti peracta necessarium est licentia obtinere ab ordinario. Et quidem sub præcepto, id est: Quia sub illo verbo præcepit sancta Synodus cõtinetur vtrunque: & diligentem inquisitionem facere antequam assistat matrimonio hominis vagantis, & ignoti, & quod causa cognita, deferat ad ordinarium, &

ab

ab eo habeat licentiam. Itaque, & si Parochus, habeat facultatem ab ordinario ministrandi sacramenta suis subditis, & cognitis, casus hic reser-
uatus est Episcopo, coniungendi vagos in matrimonio: Et sine licentia ordinarij non potest id peragere. Quamuis si fiat dummodo alia ser-
uentur quæ necessaria sunt, vt coram testibus, & præsentem proprio sacer-
dote, verum erit sacramentum.

¶ Attendendum videtur, quod etiam si vnus eorum, qui matrimonio copulandus venit, sit notus, & incola, & propriam habeat sedem, & subditus Parochi, &c. Si tamen alter sit vagus, & alienigena, non ob id poterit absque licentia ordinarij Parochus, matrimonio assistere. Quia cum periculum, cui obuiare intendit sancta Synodus, æque maneat quando alter solum est alienigena, sicut si vterque: Cum quando vterque est vagus, tenetur licentiam ab ordinario obtinere, & tenebitur quando solum alter vagus est.

¶ Quando dictum est de licentia ordinarij requisita intelligatur, vel eius officialis, qui prouisor dicitur, quia idem tribunal est, vt supra diximus.

¶ Sed offert se se dubium pro religiosis in nouo orbe, quibus ex speciali concessione datum est à Sanctissimo Papa Pio Quinto, qui nunc ecclesiæ gubernat Catholicam, vt supra adduximus, posse assistere matrimonijs incolarum noui orbis, Dubium inquam est. An vagos homines quorum numerus non exiguus est, Ibidem copulare possint in matrimonio, & assistere, facta inquisitione diligenti de impedimentis, &c. Sine licentia ordinarij. An possint ipsi religiosi virtute priuilegij absque alia licentia id facere licite. Et augetur dubium: An possit religiosus in nouo orbe virtute prædicti priuilegij etiam non sibi subditos, & commissos illos, qui sub nullius sunt peculiari cura, sed tanquam destituti ministro sunt, & velut vagi habentur, copulare: & eorum matrimonijs interesse, absque licentia aliqua particulari ordinarij, vel alterius.

¶ Pro dubij resolutione considerandum prius videtur; Quod vagos huiusmodi iusnodi possumus considerare multipliciter: in rigore illi vagi sunt, qui nullum habent domicilium proprium, sed hæc & illac vagantur. Alij sunt vagij qui quamuis illius loci non sint indigenæ, tamen habent sedem, & domicilium, & admodum incolarum se habent quiete morantes. Alij dici possunt vagi respectu ministri, quia nullum habent determinatum ministrum, qui ipsorum curam gerat: quantumuis ipsi tales pacifice, & quiete viuant: vt sunt plures in nouo orbe, qui ministerium habent, & consequuntur à Religiosis, qui ad tempus perambulant bene faciendo, & prædicando, baptizando, & cetera sacramenta ministrando, ad locum perueniunt, vbi minister proprius non est.

¶ Sunt loca hæc distantia, & non satis congrua pro habitatione religiosorum, quæ de visita vocantur non certa, & determinata: sed vbi diuersi ministri ex diuersis locis egredientes ad tempus solent ministrare.

¶ Alio

Rogantur

Dubium.

Vagus homo multipliciter consideratur.

¶ Alio modo large dici posset quis vagus, quando & si habeant ministrum, proprium absens tamen est, & transitum habet, alius minister, qui in alio loco suum habet certum ministerium; & proprias sibi subditas oues: quibus ex officio solet ministrare. An talis possit matrimonio illorum assistere, inconsulto proprio Parocho, vel ordinario.

1. proposi. ¶ Prima propositio. Vagos secundo modo, qui indigenæ cum non sint, proprium habent incolatum: religiosus in nouo orbe, diligentia facta, & inquisitione, poterit in matrimonio copulare ob priuilegium sibi concessum. Hæc est clara: nam cum possit sibi subditis prouidere, & ministerium impendere ex officio, & hic (qui quamuis alias alienigena incolatum habet proprium, sit subditus) poterit matrimonij sacramentum ministrare, si nihil obstet aliud.

2. proposi. ¶ Secunda propositio. Vagos primo modo, qui proprie vagi sunt, & inquieti, qui nullum habent domicilium, religiosus ex priuilegio ministrans, & volens tales coniungere, ex præcepto tenetur iuxta decretum Concilij inquisitionem diligentem facere, & peculiarem: verum (hac facta) non videtur ordinarij, vel sui officialis particularis necessaria licentia. Hæc propositio cum duas habeat partes, quo ad primam nullam patitur difficultatem, quia ex æquo currunt quilibet Parochus, & religiosus.

¶ Quo ad secundam in qua est difficultas probatur. Quia religiosus minister in nouo orbe, ex priuilegio, & speciali licentia ministrat ordinarij: (quia ex speciali licentia Summi Pontificis,) vt patet in priuilegio, qui primus, & principalis totius ecclesiæ Catholicæ est, & hoc quantum ad ministerium, vt hæcenus fieri solitum erat ante Concilium Tridentinum: sed ante Concilium Tridentinum ex speciali priuilegio Leonis 10 & Adrian. 6. poterant huiusmodi matrimonijs assistere, ergo, & modo post Concilium poterunt: sine aliqua alia speciali licentia ordinarij.

¶ Ratio confirmatur ex verbis expressis in priuilegio nuper concessio à Sanctissimo Papa Pio Quinto, vbi dicitur, quod ministri in sacramentis conferendis, & matrimonijs coniungendis se habeant vt ante; ordinarij, vel cuiusque alterius licentia minime requisita. Si ergo licentia necessaria esset ordinarij, iam nihil importaret priuilegium in illa parte, cum tamen necessario aliquid debeât importare, patet in c. Abbate de verb. significatione.

¶ Habent religiosi in nouo orbe virtute priuilegij aliquid ultra ministros Parochos, quibus ab ordinarijs commissæ potestas est. Quibus & subiecti sunt immediate. Ob id Parochi, huiusmodi vagos homines, non poterunt coniungere, etiam facta diligenti inquisitione, sine speciali licentia ordinarij. Religiosi tamen possunt, quia specialiter videtur concessum, à Summo Pontifice in priuilegio.

3. conclusio. ¶ Tertia propositio. Vagos tertio modo, qui nullum habent determinatum

natum ministrum, septem diuersis, in diuersis temporibus, ministerium suscipiunt, poterunt religiosi in nouo orbe, virtute priuilegij Pij Quinti coniungere. Patet quia si non possent cum ipsi vere sint incolæ, & quiete viuentes in suis domibus, maxime esset, quia non sunt deputati tales, tanquam oues propriæ, quibus sit ministrandum: Sed hoc non obstat. Ratio, quia licet in priuilegio sit concessum ministerium, vbi contingit ministratio deputatis, manet tamen ex alia parte clausula, & concessio priuilegij (sicut hæcenus consueuistis,) & quia ante Concilium Tridentinum, ex amplissima concessione, & Leonis Decimi, & Adriani Sexti, religiosi in nouo orbe poterant, prædictis ministrare, & eorum matrimonijs assistere, & poterunt modo. Et adde, quia alias si religiosi non possent, manerent destituti tales ministerio: quod dicendum non est. Ergo absque alia licentia quando contingat, iter facere, poterit religiosus sine aliqua alia licentia, sicut alia sacramenta, & matrimonium ministrare. Et de hac non videtur dubium. Item quia in priuilegio conceditur expressè, vt possint matrimonijs assistere, vbi contingat religiosos esse, de licentia suorum Prælatorum.

4. proposi. ¶ Quarta propositio. Vagos quarto modo, quos large dicere possumus: (improprie tamen) qui ministrum habent certum deputatum, siue regularem, siue sæcularem, quamuis præsentem non habeant, Religiosus in nouo orbe, etiam peractis necessarijs præambulis ad matrimonium: coniungere non potest. Patet primo, quia est de directo contra verba sancti Concilij, quæ in aliam partem interpretari non possunt: vt scilicet nullus non proprius sacerdos sub pœna suspensionis assistat, vel benedicat nubentes. cum ergo talis religiosus proprius sacerdos nõ sit; quia proprium habent, vt suppono, sequitur quod non poterit.

¶ Secundo si posset, forte esset ex virtute priuilegij concessi à Sanctissimo Papa Pio Quinto, sed non potest ex virtute illius, quia ibi dicitur de religiosis, qui habent officium animarum in locis signatis, vel de simili licentia signandis à suis Prælati: Sed locus vbi contingat religiosum transitum facere (vbi habent proprium ministrum) etiam absentem non est, ei signatus: sequitur ergo quod non potest religiosus, tales coniungere sine licentia proprij. Et si aliquis id faceret, suspensus esset, & incideret in pœnas appositæ à sancta Synodo Tridentina.

¶ Et quamuis ante Concilium Tridentinum, quando loca non erant signata religiosis, ob paucitatem ministrorum, fuerit aliquando vsus virtute amplæ concessionis Leonis X. & Adriani VI. Quia currebat pia interpretatio rati habitio in respectu omnium religiosorum: modo tamen post celebrationem concilij, vbi tam expressa mentio de modo, quo celebrandum est matrimonium, & post concessionem priuilegij Pij V. vbi in locis signatis, potestas cõceditur, & signandis, & non vbi sunt alij ministri signati, non poterit religiosus assistere licite, matrimonijs eorū. Et

dato

dato in transitu sacramenta necessitatis ministrare possent non sibi subditis, vt baptizare periclitantem, extreme laborantium confessionem audire, non tamen posset in necessitate, etiam extrema matrimonio copulare: etiam alijs adhibitis necessarijs, vt supra diximus; quia hoc sacramentum necessitatis non est, vt supra duo dicta, scilicet Baptismus, & Pœnitentia: hæc obiter sint dicta, latius alibi ex proposito dicendū erit. Pro nunc tamen hoc tenendum videtur, quod supposito priuilegio Summi Pontificis Pij Quinti, concessio ad instantiam Regiæ Maiestatis Philippi Secundi Regis Hispaniarum, pro religiosi in nouo orbe attendentes ad verba, vt sonant, & ad petitionem; supposito etiam quod fere per nouam Hispaniam, loca vbi fratres habitant sunt distincta; & quæ proxime adiacent, etiam videntur signata, Et est, ac si per Parochias populi, diuisi essent. Videtur inquam, quod religiosi ministerium solum poterunt licite adimplere, absque licentia diœcesani, vel cuiuscunque alterius: in locis illis quæ pro suo districto sunt signata: & non amplius. Et si contingat ministerium exercere vltra casum necessitatis in sacramento Baptismi, & Pœnitentiæ licite, non posse fieri sine speciali licentia proprii, vel diœcesani, quia priuilegium nuper concessum non videtur ad id extendi in noua Hispania, secus esset in prouintijs, vbi non est ministrandorum facta, & signata diuisio, & cuiuslibet datur ex Prælatorum licentia, munus prædicandi, & sacramenta ministrandi, vt olim à principio in nouo orbe.

Confiderandum.

Appendix ad illa q̄ in 9. articulo dicta sunt.

¶ Sancta Synodus providere volens illis, qui libertatem non habent in matrimonio, sub istis verbis ait.

Precepit sancta Synodus omnibus cuiuscunque gradus dignitatis, & conditionis existant, sub anathematis pœna: quam ipso facto incurrant, ne quouis modo directè, uel indirectè, subditos suos, uel quoscunque alios cogant, quominus libere matrimonia contrahant. Hæc in c. 9. ¶ Hic multa sese offerunt declaranda, maxime illud anathema, quod ipso facto incurrendum declarat, quid importet. ¶ Queritur ergo, an anathema idem sit, quod excommunicatio, & videtur quod sic. Quia anathema ille dicitur qui segregatus est ab hominum consortio, sed excommunicatus est huiusmodi. ¶ In contrarium est, quia in Concilijs diuerse cum sint uoces, excommunicare, & anathematizare, quem excommunicat aliquando, & simul anathematizat: & aliquando anathematizat, & non excommunicat: & aliquando excommunicat, & non anathematizat, Vt est uidere in Concilio Tridentino, & in hac sessione 24. Vbi raptorem ipso facto excommunicat, & non anathematizat. Et hic quando præcipit, ut nullus uim inferat copulandis in matrimonio, anathematizat: & non excommunicat. Et in

alijs

alijs locis sæpe post excommunicamus est, & anathematizamus, patet in cap. excommunicamus, primo; & secundo de hæreticis, & in c. cum non ab homine, de iudicijs, &c.

¶ Pro solutione dubij notandum vocem hanc anathema, vt docet pater August. super nume. cap. 41. & in Epistola 178. Græcam esse, & anathema idem esse, quod detestabile aliquid, & abominabile, videatur. Et ex Paulo id videtur constare. Vbi Corinthios docens, ait. Qui non amat dominum sit anathema i. maledictus. Et Chrysof. Hom. 16. super Epistola ad Roma. exponendo, quid anathema sit ait. Quemadmodum anathema donumque, id quod Deo oblatum dedicatur, nemo est, qui temere manibus contingere audeat, neque ad id proprius accedere; Sic & eū qui ab ecclesia separatur, ab hominibus abscindens atque tanquam longissime abducens, hoc nomine a contrario, scilicet appellat, magno cum terrore omnibus interminatus, ab eo, vt separentur, & pedem referant. Anathemati enim, honoris gratia appropinquare nemo audebat, ab eo autem qui ab ecclesia abfuisse erat, ex opposito omnes sententia separabantur. Quapropter separatio quidem tum hæc, tum illa ex æquo, a vulgo alienatio erat, separationis vero modus non vnus, sed illi contrarius. Ab illo enim abstinebant tanquam Deo dicato: ab hoc autem discedebat tanquam a Deo alienato, & ab ecclesia abscisso. Hæc Chrysof. idem fere Athanasius ad Romanos 8.

Chrysof.

Athanasii.

¶ Hieronymus dictionem anathema Hebræam putauit cap. primo in Commentarijs Epistole ad Galatas: Et de hoc plura notatu digna, vide apud Couarru. in c. alma mater de sententia excommunicata. par. 1. §. 8. Et vide Alphosum à Castro, lib. 2. de iusta punitione hæreticorum c. 20. Prima conclusio.

Hierony.

Castro.

Couarru.

Anathema ab excommunicatione maiori certum est differre, quoad solemnitatem. Patet ex c. de heret. 1. q. 3. Vbi Gratianus ponit solemnitatem anathematis distinctam ab excommunicatione maiori. Nā debent Episcopum anathematizatem. 12. Sacerdotes circumstare, atque lacernas ardentis in manibus tenere: quas in fine anathematis projicere debent in terram, & pedibus conculcare: atque post epistola per parochias mittitur, continens excommunicatorum nomina, & causas.

1. conclusio.

Differētia inter anathema, & excommunicationem maiorem.

¶ Secunda conclusio. Anathematizare solis Episcopis videtur cōpetere, & non alijs inferioribus. Hæc probatur ex textu allegato Gratiani. Probatur etiam ex glossa communiter recepta in c. cum ab ecclesiarum prælatoris. de offi. ord. & probari potest ex consuetudine in concilijs, vbi nō anathema, & anathematizamus frequentissimum est.

2. conclusio.

Gratianus.

¶ Tertia conclusio. & si anathema, ab excommunicatione minori distinctum sit manifestum, interdum videtur, quod anathema ab excommunicatione maiori non distinguantur.

3. conclusio.

H Prima

¶ Prima pars est apertissima: nam maius vinculum, & maiorem execrationem, & aliam à communicatione hominum separationem, anathema importat, quam minor excommunicatio: quæ cum solo vehiali peccato incurri est frequentissimum: & à qua, quilibet sacerdos qui à peccatis absoluit, potest absolvere.

¶ Secunda pars conclusionis: Quod aliquando ab excommunicatione maiori non distinguatur, ex cap. engeltrudam. 3. quæst. 4. constat. vt intelligit doctissimus Couar. in loco citato, & vt infra dicemus, in hoc decreto concilij, distincte capitur.

4. Conclu. ¶ Quarta conclusio. communiter anathema aliquid supra excommunicationem maiorem videtur superaddere, quando simul ponitur in concilij seu Pontificum sanctionibus. Pater quia si idem penitus importaret excommunicatio, & anathema non poneretur sub coniunctione vnum post aliud, quia esset quid superfluum, & nugatio, quæ improprietas absque euidenti ratione concedenda non est. Quod superaddat probari potest, quia vbicumque duo ista verba excommunicamus, & anathematizamus iunguntur, posteriori loco ponitur anathematizamus: Vt notauit Castro in loco citato. Et quod superaddat etiam terrorem, vel solemnitatem quandam, probat doctissimus Couarruías ex cap. cum non ab homine, de iudicijs. Vbi Panorm. nu. 23; & Decius. nu. 13; Barba. Abba. in cap. cum ab ecclesiarum Prælati, de officio ordinario, in terrore, & solemnitate differre dicunt, & si quo ad effectum æquiparentur. In quo sensu intelligendus venit Syluester, titulo excommunicationis l. q. vlt. quando dicit idem esse excommunicationem maiorem, & anathema.

Syluester. Quamuis Castresis in loco citato, Syluestrum errasse dicat: Sed modestius agendū videtur, ob autores graues citatos, qui in effectu esse idem putent, quamuis aliquid superaddat.

5. conclu. ¶ Quinta conclusio. Quia prorsus idem non sunt excommunicare, & anathematizare, cum saltem, vel solemnitatem, aut terrorem, amplius importet anathema. Defunctus à viuis, potest anathematizari, non sic tamē potest excommunicari proprie: quia filij solent interdum anathema dicere suis parentibus defunctis, derelictantes, & abominantes, quia forte parentes dum viuerent, fuerunt suarum rerum prodigi. Et tamen non excommunicantur, neque excommunicari possunt. Imo neque qui haberent auctoritatem excommunicandi, possent defunctum excommunicare, cum tamen anathematizent. Pater in concilio Constantiensi anathematizatur, Vniclef hæresiarcha defunctus, & 6. Synodus plures maledixit, & male in precatus est iam mortuos damnatos: & ecclesia aliquando defunctos si anathematizando excommunicat, Non id facit, vt sententiam proferat excommunicationis in defunctos, Sed eos declarat excommunicatos decessisse, vt suffragijs non adiuuentur fidelium qui in vita non fuerunt declarati tales. de quo in 4. distinct. 12. quæst. 2. artic. secundo,

in fine. Et sic quando alicui dicitur in concilio anathema sit illi, Ibi anathema pro maledicto debet capi. vt in cap. si quis Episcopus extra de hæreticis. Et huius cap. exactam declarationem qui voluerit videat in Castro de iusta punitione hæreticorum. c. 20. lib. 2. Quamuis quidam non penitendus autor in suo demidplgetijs disputatione 7. conetur probare, ecclesiam aliquando defunctum excommunicare, sed alibi suo loco latius.

¶ Sexta concl. In loco citato, quæ sumptimū declarandum de illis, qui cogunt aliquē ad matrimoniū, ibi anathema non pro excoicatione maiori sumitur, sed pro maledictione, seu execratione: Probat, quia vt supra diximus isti duo differunt: excommunicatio maior, & anathema, & si non semper, vt in plurimum, & aliquid importat vnum, supra aliud. ergo nō semper pro eodem. Ergo oportet ex constitutis agere, quando alias non constat, quando sit distinctio, sed quod sic sit, patet: quia in eadem sessione concilium cum ipso facto raptorem dicit excommunicatum. c. 6. in c. 9. de cogentibus ad matrimoniū, anathema dicit si ergo excommunicatos vellet non distinctis uteretur verbis. Sed eisdem, vt magis constaret. Quapropter mihi persuasum habet ibidem esse execrationem, & maledictionem: Et quod talis sit alienus à consortio ecclesie. Et quod solēnter sit talis maledictio. Hæc sunt addita ad illa, quæ ex proposito de coactione, tractata sunt iuxta nouum decretum sanctæ Synodi Tridentinæ: Hæc videbantur addenda, ad illa, quæ in art. 8. in hac p. 5. de coactione, quo ad matrimoniū quæ in sancta Synodo Tridentina sunt apposta.

¶ Sancta Synodus Tridentina circa tempus in quo nuptiarum solemnitas fuerat olim interdicta, nonnulla moderatur, cap. 10. in eadem sessione in hæc verba.

A. B. Aduentu domini nostri Iesu Christi, vsque ad diem Epiphaniæ, & à feria 4. cinerum, vsque in octauam paschæ inclusiue, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obseruari, sancta Synodus præcipit.

¶ In alijs vero temporibus nuptias solemniter celebrari permittit quas Episcopi, vt ea qua decet modestia, & honestate fiant curabunt. Sancta enim res est matrimonium, & sancte tractandum.

¶ Hic nulla sese offert intelligendi difficultas, quippe quæ aperte concedat, quod olim erat prohibitum, vt late ex iure probatum in art. 14. primæ partis, in hoc speculo Coniugiorū: nam cum ante, a tempore 7. esset interdictum nuptias celebrare, Sancta Synodus concedit licite fieri posse, etiam in Septuagesima, vsque ad feriam quartam cinerum. Et cum tempore rogationum, etiam esset interdictum, vsque ad octauam Penthecostes etiam donat, vt illo tempore possint celebrari. Et ob id antiquam tollit prohibitionem, hæc solum addenda erant.

Michaelde Medina.

6. conclu.

Appendix ad 14. arti P.

Primum.

Appendix
ad art. 49.
de dispensatione.

Sanctissimus Papa Pius quintus, proprium motum dedit, & suam mentem declaravit in dispensationibus, in gradibus prohibitis in matrimonio, in hæc verba.

¶ Sacramento, & libertati matrimonij, quantum cum Deo potest, fauere statuit, & ordinauit. Quod de cætero in quibuscunque dispensationibus, quas pro matrimonijs contractis, aut contrahendis, inter viros, & mulieres, inuicem diuersis prohibitis, consanguinitatis, seu affinitatis, aut mixtis, ex communi seu, ab eodem stipite surgentibus, quicunque illi sint, dummodo primum quoquomodo non attingant, cum in eo sanctitas sua nunquam dispensare intendat, gradibus coniunctos, ab eadem sanctitate sua, & pro tempore existente Romano Pontifice, aut sede Apostolica impetrari, vel alias concedi contingerit, ac literis commissionibusque de super etiam locorum ordinarijs faciendis, gradus remotior attendatur, trahatque secum propinquior, ac ob id sufficiat remotior, tantum gradum exprimere, obtentis tamen postea super propinquiore literis declaratorijs, iuxta Grego. & Clem. prædecen. huiusmodi constitutiones, quas quo ad hoc innouauit, & inuiolabiliter obseruari mandauit, dispensationes, seu dispensandi commissiones, ac de super confectas literas, & processus habitos, per eandem dispensatis, seu his, cum quibus dispensare mandatur, propter proximioris gradus, huiusmodi non expressione de surreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis defectu notari non posse, sed in omnibus, & per omnia si suffragari, per inde ac si in literis, seu commissionibus huiusmodi de proximioris seu, utroque gradu specialis, & expressa mentio facta fuisset, sicque per quoscunque iudices, & commissarios, etiam sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinales, sublata eis, quamuis aliter iudicandi, & interpretandi facultate. &c. Anno 1566. die 20. Augusti, anno primo Pontificatus. &c.

¶ Pro declaratione, huius est aduertendum, extra de consan. & affi. in c. cum dilectio. Fuisse diffinitionem olim Celestini 3. summi Pontificis: Ut quando dispensatio fit in gradibus prohibitis consang. & affinitatis, quando distantia ab stipite est in propinquo, & in remoto gradu, non sufficiat fieri mentione de magis distante gradu in dispensatione: sed opus sit, etiam meminisse gradus propinquioris.

¶ Et etiam est aduertendum in c. fi. eiusdem tituli ex Grego. 9. haberi, quod inter duos, qui non æqualiter distant ab stipite tanta distantia inter eos, quanta est illius, qui magis a communi parente distat. Ex quibus iuris est orta controuersia: an sufficiat in dispensationibus mentionem fieri, de gradu magis distante, & quidem secundum determinatione Celestini, in cap. citato, cum dilectio, non sufficit, sed tamen ex determinatione Grego. 9. in cap. finali allegato sufficeret.

¶ Summus Pontifex, ergo hanc tollit controuersiam Pius quintus dicendo sufficere in dispensationibus memoriam fieri gradus distantioribus,

& al-

& allegat, & prædecessoris Grego. 9. determinationem, quia illa est distantia, quæ est illius, qui magis distat, & etiam Clementis Papæ 6. quæ determinat, quod hic S. Pius, & si nondum typis sit excusa vetum eam citat, constitutionem Calderini consilio 1. de consanguinitate. Et ad textum citatum, c. cum dilectio. Respondendum, ibi verum tenere in alia prouincia, ubi talis erat consuetudo, intelligendi dispensationes, in gradibus prohibitis in matrimonio, ut non sufficeret meminisse gradus distantioris, nisi etiam fieret mentio propinquioris. & ita glo. Abba. in c. prædicto, cum dilectio, & alij. Quem textum dicit singularem. Felin. in cap. finali colum. fina. de symonia, & eum allegat in cap. postulasti de rescriptis. num. 9. & 13. ex eo aduertens dispensationem ex iure communi intelligendam esse, nisi consuetudo eam strictius interpretetur, hæc Felinus, & id etiam probat doctissimus Episcopus Segobiensis Couarru. in 2. p. Epistol. tom. cap. 6. nu. 12.

¶ Tamen circa illa verba Pontificis summi Pij quinti, ubi dicit litteras declaratorias fore necessarias propinquo gradus, Est notandum, dispensationem in casu, duplicibus literis fieri solitam. Primo enim literæ dantur, super gradu propinquiori, non dispensatoriæ, quia sufficit dispensatio facta, in gradu remotiori, cum tanta sit distantia, & non maior. Sed sicut literæ declaratoriæ, ut docet Philippus Probus in rubrica de cognitione spirituali, in 6. Et expressa sunt verba summi Pontificis, ut modò sic debeant fieri, ob id sic tenendum.

¶ Qui vero defendunt ad litteram textum seruandum, cum dilectio. Verum mentio fiat utriusque gradus, moti sunt, quia in dispensationibus quæ odiosæ sunt, mixtum sub simplici non debet contineri, secundum communem opinionem. in c. sing. de symonia, & l. 2. in principio. ff. de verbo. obligat. & in casu, remotior gradus, simplex non est, sed mixtus ex propinquiori, ergo dispensatio non sufficeret & sic glo. in regula cancella. 29. dictum text. intellexit.

¶ Falsa est huiusmodi intellectio, quia mixtum, hic non reperitur, ut doctè Episcopus Segouiensis in loco citato. Ob id sufficit mentio fiat, de gradu magis distante, ut dictum est.

Hic se offert vnum dubium discussione dignum, circa illa, quæ in Speculo in hac p. prima, art. 15. sunt diffinita de impedimento voti simplicis, quod non dirimit contractum, sed impedit contrahendum. Quandoquidem contrahens post votum, si dispensationem non habet, mortaliter peccat. Et quamuis nos ibidem dubium tetigimus, quid esset respondendum querenti: an debeat contrahere matrimonium, modo dubium est, an si quis post simplex votum commissum non consulat, sed peccat a suo paroco, ut assistet suo coniugio seruatis omnibus illis quæ secundum iura antiqua seruanda sunt. Et etiam illa quæ in concilio Tridentino decreta sunt, an teneatur parochus, non obstante quod ei constet de

Appendix
ad art. 15
1. par.

voto

voto simplici assistere matrimonio eius, & coniungere tales nubentes, vel possit repellere, certo sciens talem mortaliter peccare post votum simplex, etiam si non ignoret matrimonium validum fore semel contractum.

¶ Videtur, quod Parochus teneatur petentem sacramentum coniugij ei dare, & quod non possit eum repellere, etiam si constet ei de voto simplici emissio. Qui debitor est alicuius tenetur, ex iustitia petenti dare, quod suum est: Sed Parochus est debitor administrationis sacramenti, ergo petenti tenetur dare. Maior est manifesta, & minor constat, ex Paulo. Sic nos existimet homo, ut ministros; & dispensatores misteriorum. &c. Nam eo minister certus præfinitus, & constitutus, ut ad eum sit accessus liber omnium fidelium, per cuius manus hæc pretiosa, quæ Deus in ecclesia sua posuit sacramenta scilicet, Christi fidelibus communicari debent.

1. Corint.

¶ Secundo, si Parochus volenti in matrimonio coniungi. dumodo alia necessaria sunt, denegat, facit ei iniuriã. Ergo peccat denegando, quod si peccat denegando, tenetur ei ministrare. Quod faciat ei iniuriã, patet quia liber est, & potest se ipsum alteri tradere in matrimonio, & non potest, nisi per hunc ministrum ab ecclesia constitutum: Quia sic in concilio Tridentino est definitum. Ergo petendo, Parochus, iniuriã ei facit denegando, quia debitor est: alias hic maneret totaliter impeditus, quo ad ineundum matrimonium, quia nulla alia via potest, nisi per hunc ministrum.

¶ Tertio, si minister posset denegare sacramentum matrimonij, & tanquam indignum hunc repellere, ideo esset, quia post votum simplex mortaliter peccat contrahendo, sed hoc non obstat: nam minister peccatori de quo constat ei, in peccato esse, quia impenitens, vel quia non vult recedere a peccato, tenetur sacramentum Eucharistiæ porrigere etiam si

1. Cor. 11.

Sessio. 13.
cap. 7.

1. Cor. 7.

In contra-
rium.

Matth 7.

sciat eum ad damnationem suscipere. Ergo eadem ratione, imo maiori, tenetur non repellere a matrimonio; cum ad susceptionem Eucharistiæ, maior dispositio in suscipiente requisita sit, quam in matrimonio: ut constat. Nam de sacrosancto Eucharistiæ altissimo Sacramento, Paulus ait probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat. &c. Et hanc probationem sancta Synodus Tridentina declarat esse per contritionem, & confessionem peccatorum mortalium; non tamen de matrimonio sic, sed libere dicit, qui vult nubere nubat, melius est enim nubere quam vri. Sequitur ergo, quod Parochus petenti, post votum simplex ei ministrari sacramentum matrimonij tenetur: Non obstante, quod talis mortaliter peccet nubendo.

quod sanctum est, & sanctificat, indigno peccatori daretur in casu.

¶ Pro decisione dubij considerandum, quod minister qui sacramentum ministrare habet matrimonij, vel est proprius qui habet oves sibi peculiariter commissas, & qui petit, est una ex eis. Vel est sacerdos, qui ex commissione potest ministrare, vel ex licentia proprii, vel de licentia ordinarij, vel ex privilegio concesso, ei qui petit.

Primo no.

¶ Secundo etiam notandum, quod talis minister qui est proprius, vel habet facultatem a proprio, vel scit votum simplex emissum a volente contrahere, & petente secrete, siue in confessione siue extra confessionem. Vel scit tale votum emissum, etiam si simplex, publicum esse, & notorium: eo modo quo publicitas, & notorietas, secundum iura, & doctores requisita est.

¶ Tertio etiam notandum, quod talis qui petit coniunctionem in matrimonio, potest petere in secreto, vel potest petere in publico: in secreto esset, si Parochum adiret, & duos adduceret secum testes necessario adhibendos, post definitionem concilii. Tri. vel potest petere in publico, in ecclesia coram multitudine intermissarum solemnã, in quo tempore ad monitiones publice, debent fieri iuxta præscripta in prædicto concilio.

¶ Quarto etiam considerandum venit, quod talis qui post omissum votum simplex petit, vel dispensationem habet, & hoc fatetur ipse, vel non habet dispensationem, sed tamen dicit velle contrahere non obstante voto.

¶ Prima conclusio. Qui post simplex votum, contrahere petit a sacerdote non proprio, penitus non est audiendus, sed reiiciendus. Hæc est manifesta, quia sacerdoti non proprio, est interdictum matrimonio assistere. Imo non solum mortaliter peccaret, sed esset suspensus ipso facto, ut late probatum est, supra quando de matrimonio clandestino tractatum est. Non enim est minister sacerdos, eo quod sacerdos sit, huius sacramenti matrimonij etiam in extrema necessitate: Nam & si sacerdos quilibet in extremis existenti, posset baptisismi sacramentum, & penitentiam ministrare, quia hæc sunt sacramenta necessaria. Non tamen posset in illa necessitate matrimonij sacramentum ministrare, quia necessitatis non est, ut supra diximus.

1. conclu.

Nota.

2. conclu.

¶ Secunda conclusio. Sacerdos (non proprius) quamvis sibi commissum a proprio, vel ab ordinario, vel a Pontifice ex privilegio, petentem matrimonio copulari, post votum simplex, siue prævia dispensatione, siue sit in secreto, siue in publico, siue votum, sit secretum, siue publicum reiicere debet, & nullo modo in matrimonio coniungere. Hæc plures habet partes, & facile probatur. Patet, quia quicumque alicui præbet peccati occasionem, vel fauet, aut fouet peccatum, peccat, sed minister qui proprius non est, si petentem post votum simplex audiret, occasionem daret, & faueret, & foueret, peccati, quia talis contrahens mortaliter peccat. Sequitur, ergo quod sacerdos non debet audire, siue secrete, siue publice petat.

Patet.

Patet, quia si teneretur audire, esset; quia habet licentiam a proprio: sed hoc non obstat, quia licentia non est ad disipationem, sed ad ædificationem: Neque ea uti debet, sed potest reijcere, quia si oculus tuus, vel pes tuus scandalizat te, proijce ab te, docet Christus. Cum ergo scandalizet in casu talis licentiæ: cum cooperatur peccato mortali alterius, se quitur, quod est reijcienda: nam damnatione digni sunt, non solum, qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus. In casu enim potius mortem subire debet, quam proximo in mortali fauere.

¶ Item, quia si talis sacerdos non posset reijcere petentem esset, quia ei teneretur, & debet reddere, sed talis, ut suppono non teneretur, quia non est proprius. Etiam potest non uti licentiâ concessa a superiori, vel proprio. ¶ Dixi siue petat in occulto, siue in publico, quia absque scandalo actiuo, potest ad proprium remittere, & non acceptare licentiam, vel commissio- nem factam, quod si scandalum oriretur esset acceptum, & non datum Phariseorum, quod vitare nullus tenetur.

¶ Dixi supposito non sit talis dispensatio, quia si esset, tunc forte esset peccatum non audire petentem maxime in publico, quia tunc audiens, non esset proximo occasio peccandi, cum post dispensationem peccatum non esset, contrahere.

3. conclus. ¶ Tertia conclusio. Proprius sacerdos petentem matrimonio coniungi post votum simplex, ante dispensationem: si id sit secretum, & in secreto petat, etiam coram duobus testibus, potest reijcere, & non teneretur audire. Probatur. Quia si teneretur, eo esset, quia talis petit ius suum &c. Sed hoc non obstat, quia talis indignus est, & incapax pro tunc, illius quod petit, quia indigne, in peccato. Et ob id a ministro fideli cui commissa cura est talis ouis, repellendus est ne peccet, & informandus. Neque scandalum sequitur, quia potest rationem facti dare ipsis duobus adductis testibus, vel ingeniose detrectando: dummodo non mentiatur, vel si opus est aperte dicendo de impedimento, dummodo id sciat extra confessionem, quia si in confessione scit de voto, coram duobus testibus petenti non liceret denegare, ne esset reuelator confessionis.

4. Conclu. ¶ Quarta conclusio. Proprius sacerdos sciens votum simplex emissum a petente matrimonium secreto, vel coram duobus testibus, solum ipso negante, tale emisisse votum tenetur audire, & si non sit aliud impedimentum, & adhibita sunt necessaria, coniungere in matrimonio. Hæc probatur, quia in tali casu qui negat votum fecisse est audiendus, & minister tenetur ei fidem dare, quia non potest probari tale votum, ut suppono. Et dato quod minister certo sciat eum emisisse, quia tamen potuit esse, quod non habuerit talem intentionem vouendi, seu obligandi, vel quod aliqua conditione fuerit emissum: eo affirmante non teneri, est credendum. Itaque differentia est attendenda inter hos duos, scilicet inter illum, qui cum secrete, vel solum coram duobus testibus, petit quidem post vo-
tum

tum emissum, quod fatetur: de quo tertia conclusio loquitur. Vel petit, sed negat votum esse, de quo loquitur hæc conclusio, quamuis ministro constet, quia videtur petere ius suum, secus esset, quando fatetur votum, quia tunc certo scit eum mortaliter peccare recipiendo sacramentum: & ob id denegare debet, in secreto.

¶ Quinta conclusio. Si quis post votum simplex emissum publice petat in ecclesia, coram multitudine in sacramento matrimonij coniungi, dummodo alia necessaria sint adhibita, si votum sit secretum, & hoc constet ministro audiendus est, & non reijciendus. Patet, quia ille petit ius suum, & probare id potest, & minister non potest eum tanquam indignum reijcere, neque indignitatem probare, quia secretum est. Ergo sequitur, quod minister tenetur ei ministrare.

¶ Item minister tenetur proximi famam illam seruare, & eum non scandalizare: Sed infamaret, & scandalizaret, si in casu posito, in publico denegaret: ergo tenetur ei ministrare. Hæc conclusio, etiam dubia non est.

¶ Sexta conclusio. Si quis post votum simplex publicum, de quo constat, petat a proprio sacerdote copulationem in matrimonio, etiam si nullum sit alias impedimentum, & interueniant alia necessaria, si tamen dispensationem non habet reijciendus est, & nullo pacto est in matrimonio copulandus. Probatur, ad proprium parochum spectat ex officio, omne mortale peccatum vitare quantum in se est, & eius occasionem in sibi subditis, Sed admittendo sibi subditum in casu ad matrimonium, non vitat occasionem mortalis; ergo tenetur vitare non admittendo, & sic reijciendus est. Quod talis post publicum votum simplex contrahendo, mortaliter peccet, si dispensationem non habet, nullus est qui neget. Maior est manifesta, & minor. Et confirmari potest ex Paulo, digni sunt morte non solum, qui ea faciunt, sed qui consentiunt facientibus. Minister tenetur sub mortali, non solum non perpetrare peccatum, sed neque consentire facienti. Sed si admitteret eum qui matrimonio vult coniungi post votum simplex consentiret facienti. Ergo tenetur sub mortali non admittere, & ob id reijciendus est, quousque habeat dispensationem.

¶ Item, si proprius sacerdos teneretur hunc petentem admittere, maxime esset, quia proprius minister est, & quia ius suum petit, sed ex hoc non tenetur: nam quia proprius minister, tenetur quantum in se est vitare peccatum mortale sui subditis. Quod vitat denegando, & non admittendo. Neque quia ius suum petit, quia ad mortaliter peccandum ius non habet petendi, quia iniuste facit, imo ius violat diuinum, & iniuriöse petit. Neque sibi debitum petit: quia cum non possit suscipere sine peccato illicito petit, & interdictum est ei petere. Neque magis tenetur minister dare, quam si gladium apud me depositum in custodia ad defensionem reipublice, quis peteret ad eius destructionem; hæc sint manifesta.

primū. **A**D primum ex dictis solutio constat, nam & si proprius sit minister, tamen a Deo constitutus, vt debite ministerium exequatur, & ad salutem, & non ad condemnationem. Et est minister, & debet, quando iuste petatur ministerium. In casu tamen iniuste petitur, ob id non tenetur, neque potest licite, si secretum sit impedimentum, & secrete petat. Vel si publicum, & publice petat. Nam si alicui qui voto simplici obligatus est, si petat ab aliquo: an si post votum contrahat matrimonium tenebit, non est respondendum quod tenebit, neque contrarium, vt placet Hostiensi, ne talis sumat occasionem peccandi, vt nos late adduximus in articulo 15. Speculi in prima parte, a fortiori licitum non erit de facto in matrimonio copulare habentem tale votum, antequam habeat dispensationē. Non tanti periculi est dicere quod verum est, quantum est actu cooperari peccato eius.

Hostien.

Abule super nu. 30. q. 63.

Ad secundum.

¶ Ad secundum dictum est in conclusionibus, quod in casu minister denegans, & reiiciens a coniunctione matrimonij, iniuriam non infert: quia qui petit post simplex votum iniuste petit. Ideo illicite exequetur, scilicet cum peccato mortali. Et dato quod sit minister deputatus, & absque eo celebrari non possit matrimonium, iuxta prædiximus in concilio Tridentino: tamen habet in se impedimentum, & sicut licite denegat ei, qui in gradu prohibito affinitatis, vel consanguinitatis vellet coniungi ante dispensationem, ita etiam ei qui post votum simplex petit, quia impedimentum habet, eo quod sine mortali contrahere non possit, quamuis si de facto contraheret matrimonium valeret. Quia ministro incumbit, non solum attendere ad impedimenta, quæ contractum dirimunt, sed etiam ad id, quod impedimentum præstat ei, qui petit alteri in matrimonio coniungi.

Ad tertium.

¶ Ad tertium etiam patet solutio ex dictis, quia petenti sacramentum Eucharistiæ in peccato, si sit secretum, & secrete petat, licite denegatur. Quia iniuste petit, & sic qui post votum simplex nubere vult. Et similiter sicut peccatori occulto, in publico petenti, denegari non debet a proprio parocho ob scandalum vitandum, & infamia petentis. Ita etiam, vt dictum est, petenti in publico, si votum est secretum, non est denegandum, ad tollendam infamiam. Et sicut publico peccatori publice petenti, eucharistia deneganda est: Et obligato voto simplici, publice de quo constat, si publice petat ad nuptias transire, denegandum est. Quia non sequitur scandalum, neq; infamia, immo vitatur, & sibi imputet, & quærat dispensationem, & poterit iuste petere, & minister tenebitur ei dare.

¶ Et quidem de impedimento in confessione: cognito quid Teologi loquantur non ignoramus: & communi sententia omnium probatur: quod confessio nullo pacto est reuelanda. Et casu quo in confessione impedimentum cognouit, quod tamen matrimonium stare non potest, vt quia cognouit consanguineam vxoris, &c. & petit quis matrimonio copulari.

Palu-

ludæ ait, & sequuntur omnes, quod si non est proprius Parochus, nullo modo debet iungere in matrimonio ne videatur cooperari peccato. Sed si Parochus sit Palude ait, quod etiam si posset declinare sine suspitione reuelationis confessionis non debet, quia ille petit ius suum. Sed tamē probati, & non pœnitendi autores putant, quod etiam si a Parocho petatur coniunctio in matrimonio, qui impedimentum scit in confessione, quod si potest Parochus denegare sine infamia, & periculo detectionis confessionis, debet facere, ne cooperetur peccato illius. Et materiam de sigillo tractant doct. in 4. d. 21. & aliqui, dist. 18. & vide Medinā in codice de penitentia, in quæst. de sigillo, & Adrianum, in 4. in q. de sigillo, qui casum adducunt de Parocho, qui nouit in confessione impedimentum, quomodo se debet habere in illo, qui vult contrahere. Et respondent, quod pacto in secreto debet declinare. Et in publico, ne sit scandalum, & confessionis reuelator, debet eos coniungere. Ex omnibus istis ergo aperte colligitur veritas illorum, quæ diximus in dubij resolutione, quo pacto qui impedimentum voti simplicis cognouit, & non in confessione, se debet habere reiiciendo petentem matrimonium celebrari, ne videatur cooperari mortali peccato volentis contrahere, post votum simplex, sine dispensatione.

Palude.

Soto in relectione mēb. 3. q. 4.

Maio in 4. d. d. 21. q. 3 in 7. argu.

Hic potest esse dubium quando quidem in concilio Tridentino, circa matrimonium multa sunt innouata, & clandestinum, quod sine testibus, & proprio ministro sit irritum est, & nullum. Et de coactione loquentes diffinitum est, quod matrimonium metu contractum, qui iustus dicitur; & cadens in virum constantem, iure naturæ nullum est. Dubium inquam potest esse. An etiam sit irritum, & nullum, si coactio sit ex parte ministri, vel ex parte testium, vt si quis metu mortis cogeret parochum assistere suo matrimonio, vel cogeret testes, qui nolent adesse.

Appendix ad artic. 8. vbi de coactione.

¶ Videtur quod matrimonium sit nullum & irritum, patet; ex quo de essentia matrimonij sunt contrahentes, Minister proprius, & testes: ita vt vno istorum deficiente nullum sit matrimonium. Vt patet ex determinatione concilij, in sessione 24. c. 1. Sed si sit coactio, metus cadentis in constantem virum, respectu contrahentium est matrimonium irritum, & nullum: vt patet ex late dictis, & ex iuribus citatis, ergo etiam si sit coactio ex parte ministri, vel ex parte testium erit irritum, & nullum, patet quia eadem videtur esse ratio.

vbi nos.

¶ In contrarium est veritas.

Pro dubij solutione oportet aduertere, quod finis, vel intentio patrum concilij in diffiniendo irritas esse coniunctiones connubiales clam celebratas: ea ratione fuit, qua testimonio deficiente, facile diuer ti potest a vero; & legitimo coniugio. & ob id sancta Synodus potestate, sibi tradita a Deo, illegitimum declarauit connubium sine testibus celebratum, & Parocho, vel alio ministro, de eius licentia.

¶ Secundo etiam considerandum hanc restrictionem factam a deo fuisse odiosam, ut & si videatur ex vna parte in fauorem matrimonij factam, ut modo dicebamus, & ex hac parte ampliari habeat, & ample intelligi iuxta iuris regulam fauores ampliandi. &c. Ex alia parte constat odiosam esse restrictionem, quia illa connubia, quæ ante iure naturæ videbantur rata & firma, sunt irrita, & nulla & ipsis contrahentibus quodammodo sit ablata libertas, quominus liber possit seipsum alijs tradere in matrimonio: quapropter restringi debet, cum & odia restringenda veniant.

1. conclu. **P**rima conclusio. Coactio seu metus leuis illatus Parocho, vel testibus non facit irritum matrimonium si alia sint omnia requisita. Hæc est clara: nam si talis metus leuis non annullat matrimonium ex parte ipsorum contrahentium, ut late probatur in artic. 8. Ergo nec erit nullum, si metus leuis sit ex parte ministri, vel testium.

2. conclu. **S**ecunda conclusio. Metus cadens in constantem virum, qui secundum iura irritum facit matrimonium illatus contraheptibus, non irritat, si sit ex parte ministri: vel testium, dummodo sufficienter testimonium perhibere possint. Hæc probatur, si irritum, & nullum esset, si metus sit ex parte Parochi, vel testium, maxime esset, eò quod sancta Synodus modo ad essentiam matrimonij, & assistentiam ministri requirit, & testium, sed non ex hoc probatur irritum. Patet, quia sancta Synodus testes requirit, & ministrum, ut testimonium perhibeant, & constare possit ecclesiæ de tali matrimonio, sed etiam quando est metus cadens inconstantem virum, ex parte ministri, vel ex parte testium potest constare, & possunt ferre testimonium, ut manifestum est. Sequitur ergo quod non est irritum.

¶ Confirmatur, quia hoc est odiosum ergo restringendum & non ampliandum, sed secundum iura antiqua non erat irritum, quando metus ex parte testium, vel ministri, quia requisiti non erant, neque modo sancta Synodus Tridentina disponit, & determinat. Sequitur ergo, quod id, quod de contrahentibus dicitur, non potest extendi ad ministrum, & testes. Manet enim ius tam naturæ, quam humanum in suo vigore, ut ante Concilium Tridentinum.

3. conclu. **T**ertia conclusio. Si tanta esset violentia illata ministro, vel testibus, ut ea ratione presentes non essent moraliter, ut testimonium perhibere possent de contracto matrimonio irritum, & nullum faceret matrimonium. Volo dicere in conclusione, quod & si iura antiqua, quo ad coactionem non diffiniunt de ministro, neque de testibus, quando quidem non erant de substantia matrimonij: tamen post decretum Concilij Tridentini, vbi determinatum est ad substantiam matrimonij, & proprium ministrum, & testes assistere, si violentia talis esset, ut attentionem tollerent ministri, vel testium, ita, ut testimonium perhibere non possent,

non

non esset validum matrimonium. Patet, ad validationem contractus matrimonij, præsentia ministri, & testium requisita est, non quæcunque, quia si dormientes adessent, vel ebrii, aut penitus ad alia conuersi non esset præsentia moralis & humana quæ requiritur. Sed quando per coactionem testimonium ferre non possunt, neque intelliguntur, quæ fiunt, neque de mutuo consensu testificari possunt; non est præsentia quæ requisita est. Sequitur ergo, quod matrimonium esset nullum, ut diximus quando de præsentia testium, & ministri loquuti sumus. Hæc enim clara est.

¶ Neque impedimentum in casu eueniret, quia metus, vel coactio est, sed quia est obstaculum ad testificandum, & ob id, si absque coactione simile contingeret, ut dementati, vel dæmonum operatione, vel alia via, testes & minister, non perciperent quæ fierent, & testimonium ferre non possent irritum, & nullum esset matrimonium, ex determinatione Concilij Tridentini.

Ad argumentum in principio positum ex dictis solutio clara est. Nam & si in sancta Synodo ad substantiam matrimonij requisitum esse ministrum, & testes sit diffinitum: sed non eadem ratione, quia in contrahentibus requisita est plena libertas, quæ secundum iura ita est necessaria, ut impediatur matrimonium: ob id coactio seu metus cadens inconstantem virum, irritum facit, ex parte contrahentium. Modo requisita est ministrum, & testium præsentia, non ut plena sit libertas in eis, sed ut testimonium perhibere possint de contractu: quapropter id potest præstare, coactio, vel metus, non impedit.

Dubitatur circa illa quæ dicta sunt de matrimonio contracto sub conditione futura: an modo sit licitum post Concilium Tridentinum contrahere, vel de præsentia, vel de futuro. clam sub conditione, verbi gratia sic, ego duco te in uxorem, vel ducam, si Papa dispense in impedimento. &c. Ratio dubitandi modo est post Concilium Tridentinum, eo quod matrimonium ad essentiam requirat, & ministrum, & testes, quod olim non erat.

¶ Videtur quod non liceat sic contrahere, neque de præsentia, neque de futuro, patet, quidquid sit contra legem iustam receptam &c. Illicitum est, sed contrahere clam, est prohibitum iusta lege. &c. Ergo maior est manifesta, & minor probatur expressis verbis sancti concilij, in sessio. 24. cap. 1. Vbi sancta Synodus præcipit, quod contractus matrimonij non fiat, nisi præsentia ministro proprio, & testibus, & alias contrahentes inhabiles prorsus ad sic contrahendum declarat. Sequitur ergo quod non licet alio modo contrahere.

¶ In contrarium est, quia ius naturæ ablatum non est per Conc. Tridentinum, sed ius naturæ habet, ut quis possit se alteri tradere, omni seclu-

fo

3. coelatio

Ad argu-
mentum.Appendix
ad 19. art.
vbi de co-
ditionib⁹
appositis.2. ad Y. 2
11. 8. p
15. 8. p

fo. impedimento, ergo id poterit, sed in tali promissione sub conditione contingit, ergo.

¶ Pro decisione dubij notandum est, quod impedimenta ad matrimonium contrahendum, quæ non solum impediunt ne contrahatur, sed etiam dirimunt contractum, sunt in duplici differentia. Nam quædam sunt, in quibus, & si possit Papa dispensare, raro vel nunquam dispensat, ut in primo gradu consanguinitatis, in linea transversali, & in primo affinitatis. Alij sunt gradus, in quibus Papa dispensare solet. maxime cum magnatibus, & potentibus, ut est in secundo gradu consanguinitatis, inter filios duorum fratrum &c.

¶ Secundo notandum quod, supposito quod possit contractus celebrari sub conditione, si Papa dispense, potest esse dubium: in dispensatione facta, sub mortali teneatur qui promissit, stare matrimonio; an possit recedere sine peccato, sicut etiam promissit sine peccato.

1. conclusio

Prima conclusio. absolute considerando, quando est impedimentum, quod dirimit contractum matrimonium, neque de futuro, neque de presenti, neque secrete, neque publice, licet contrahere, etiam apposita conditione, si Papa dispense. Patet, quia absolute considerando inire contractum contra legem iustam, non licet, sed lex iusta est de impedimentis; quibus existentibus matrimonium ratum esse non potest, ergo contra talem contrahere, absolute loquendo, illicitum est, sicut & illicitum est absolute loquendo in diebus ab ecclesia prohibitis, carnes comedere, & in die ieiunii cœnare; Non alia ratione, nisi quia contra legem iustam absolute loquendo agere, illicitum est. Cum ergo sint impediti, huiusmodi contrahentes, ob impedimentum non poterunt aliquo modo contrahere.

2. conclusio

¶ Secunda conclusio. Ex iusta aliqua causa contrahere, etiam occulte, sub conditione si Papa dispense, in casibus illis, in quibus contingit dispensatio, licitum est. Ut si conveniat inter nobiles ob bonum pacis, vel propter aliquod bonum, etiam si univèrsale non sit, sed particulare alicuius familiaris: & est impedimentum, vel consanguini, vel affini, in quibus Papa, non solum potest dispensare, sed & solet. Ex aliqua rationabili causa poterunt tales, pactum sub conditione celebrare. Patet, in aliquo casu est licita, talis coniunctio, immo; & poterit esse necessaria. Et ipsa coniunctio, absque dispensatione fieri non potest. Ergo & dispensatio poterit esse iusta, imo & necessaria, tam ex parte dispensantis, quam ex parte contrahentium. &c. Sed non possit esse talis contractus, neque talis dispensatio, nisi precedat tale pactum, vel promissio de futuro matrimonio, ergo licita erit. Maior est manifesta, & minor, etiam constat: nam si non sit conventio inter eos, & alloquutio de futuro matrimonio, & promissio, quod fiet Papa dispensante: nunquam fortiretur in perpetuum

tuum suum effectum, talis copulatio. Ergo licitum erit pascisci de eo ante. ¶ Et probatur a simili, licitum est, ubi aliqua necessitas occurrit; & si non sit tam sufficiens, & vrgens, ad comedendum carnes in die prohibito, adire superiorem, & ab eo petere licetiam, & idem defractione Ieiunij, ergo & simili licebit continere de matrimonio, si Papa dispense. Dixi in casibus in quibus Papa potest, & dispensare consuevit, pro quo sit.

¶ Tertia conclusio. In casibus prohibitis, in quibus Papa dispensare non consuevit, quacunque causa etiã iusta existente videtur, quod non licet talia pacta celebrare, aut contractus de matrimonio. Si liceret maxime ex causa iusta, & honesta, quæ facit ipsam dispensationem iustam & dispensantem reddi immunem a peccato, & dispensatum tutum in conscientia, Sed in casu ista non possunt iustificare tale pactum, quia est in illis in quibus non contingat dispensatio, & ea non existente frustra sunt tales actiones, & conventiones, & consequenter illicitæ. Quia & illicite petuntur, & non absque scrupulo conceduntur, & dispensatus non manet tutus. &c. Et tandem ex eo constat conclusio, quia medium hoc, scilicet contractus sub conditione, bonitatem oportet sortiatur a fine, scilicet a dispensatione habentis potestatem, Sed talis non potest sanctæ stare, ut supponimus. Ergo, neque medium licitum erit; imo frustra, ut dictum est. Dixi videtur, quia probabile est, posse celebrari contractum, cum tali conditione: quia vis in tali casu, pro certo tenendum, promittentem non obligari, & posse recedere a promissis absque peccato; & in hoc casu optime Soto in 4. distinct.

¶ Quarta conclusio. Iuxta prædicta in secunda conclusione, qui sic promitteret adveniente dispensatione, siue fuerit promissio clam, siue publice, sub mortali adimplere tenetur. Patet, quia ut probatum est licita fuit promissio, & sponsalitiu, & cum omne promissum, sit debitum, tenetur adimplere, si potest: sed facta dispensatione potest adimplere: ergo, & debet, & cum sit res gravis, mortale erit frangere fidem.

¶ Secundo probari potest, quia si non teneretur facta dispensatione adimplere, eo esset quia tunc erat impedimentum, non poterat adimplere, quia ei interdictum erat, sed hoc non obstat, quia promissio tunc temporis facta, fuit licita, & non fuit facta pro illo tunc, sed quoniam ablatum esset impedimentum. Ergo vere fuit promissio ex illo, quod præstare poterat, & in tempore in quo potuit adimplere, quod est quando facta est dispensatio. Et nulla lege est irrita, talis promissio, suo tempore in futurum adimplenda. Sequitur ergo, quod talis sub mortali tenetur stare promissis.

¶ Dixi siue clam, siue coram testibus, fuerit promissio facta. Quia testes non sunt, qui eum obligant, sed conscientia de re iuste promissa; & ab alio acceptata.

¶ Et confirmari potest hoc ex supradictis, quod si quis promissit in secreto, post concilium Trident. matrimonium, tenetur sub mortali adimplere,

5ue. 8
3. a. 4. 6
r. co.
y. 1. 2. 3.
3. 0. ma

3. conclusio

Covar. in
4. decre. p.
p. 2. c. 6.
S. Tho. 12
q. 97. ar. 4.
Bernard.
epi. 27. 1.
Caiet. 22
q. 78. ar. 4
Et Bern. li.
5. de consi
deratio. ad
euge.
4. conclu.

ii. 1110 3
q. 97. ar. 1
v. a. 3. 2. 3

10. 10. 2

11. 11. 1.

S. Yho. 22.
q. 63. ar. 2.
ad 2.

plere, vt supra probatum est, quia licet irritum, & nullum sit matrimonium de presenti, quando sit sine testibus, & ministro, tamen promissio non est irrita: & manet in iure naturæ, vt ante concilium. Et quia qui promissit, adimplere potest publice contrahendo, vt disponit sanctum concilium obligatur adimplere. Sic in proposito, qui promissit, adueniente dispensatione, cum adimplere possit, & nullum sit impedimentum, potest & debet adimplere, & stare promissis.

Quomodo licite, & quando possit fieri dispensatio in his quæ sunt de iure humano, & quando dispensatus erit tutus, in conscientia, late disputat Episcopus Segobiensis Couarruias, in suo 4. decretaliū 2. p. c. 6. nu. 8. & vide Caie. 1. 2. q. 97. & alibi, & Soto. lib. 1. de iustitia & iure, q. 7. ar. 3. de quibus alias suo loco latius. In aliquo casu licita est ergo sponsio, sub conditione, si Papa dispense, & tunc necessario adimplenda est promissio, facta dispensatione; quia hoc non est contra determinata in concilio Tridentino, si in illis sit, in quibus contingit dispensatio, secus in alijs, vt dictum est: nam quod possit esse casus, in quo talis dispensatio, & tale matrimonium sit necessarium, est manifestum, & non potest celebrari, nisi talis promissio sit obligatoria: ergo obligat in tali casu ubi licet fieri.

¶ Et adhuc probari potest, quia si quis extreme laboraret, & a medicis destitutus videret religionem, si Deus ei conferat sanitatem, quam naturaliter acquirere non potest: tali manet obligatur voto, si sanitatem recipiat.

¶ Quamuis per potentiam supernaturalem, conditio sit adimplenda. Ergo etiam in presentiarum, quamuis per Papam, sit conditio adimplenda dispensando, manebit talis obligatus. Similiter, si fidelis cum infideli contrahat, sub hac conditione, si ad fidem conuertatur, quamuis erit illegitime personæ, si conditio superueniat, quod infidelis conuertatur, fidelis tenetur adimplere promissum.

Contr. in 4. decre. p. 2. c. 3. n. 7. **S**oto. **H**anc opinionem sequitur Adrianus, in 4. q. 10. de matrimonio contra communem opinionem iuris. Peritorū. c. super eo, de conditionibus oppositis, vt in casu posito illud pactum sub conditione, si Papa dispense, habere vicem sponsaliorum, & adueniente conditione obligari ad promissum adimplendum. Et quod contractus fuit licitus patet l. in tempore de here. insti. Magister Soto, in 4. d. 29. q. 2. arti. 1. latissime disputat, & probabiliorē reputat opinionem contrariam; Scilicet ex pacto illo sub conditione in futurum, si sit inter personas illegitimas, & alias inhabiles ad contrahendum, nullam oriri obligationem per aduentum conditionis, & absque peccato quemlibet posse recedere a promissio, licite. Non solum ante aduentum dispensationis, sed etiam post dispensationem. Sed tamen ne videamur damnare huiusmodi pacta, quæ frequenter inter magnates, & alios nobiles fiunt, etiam cum intentione, vt vicē

habe-

habeant sponsaliorū: diximus esse probabilē. Quod certe sequeretur, si vera esset contraria opinio. Videtur ergo tenendum, quod licite fiant huiusmodi stipulationes, quamuis consensus necessarius sit post adeptam dispensationem. Et interim dum non adimpleta est conditio: oscula, & cætera alia (quæ possent esse sine peccato inter sponso: qui alias legitime contrahere possunt) peccata esse affirmamus.

¶ At si post dispensationē siue ignorent, siue sciant, Huiusmodi cognati carnaliter misceantur affectu coniugali dubiū nō est, in quacunque opinione matrimonium fieri validum & indissolubile, id quod fateatur ibidem magister Soto, quia copula consummata, post sponsalia matrimonium facit, non solum quia sponsalia præcesserunt, sed eo quod sponsalia testimonium præstant, quod affectu coniugali conuenierint. Et quia in casu posito, pactum seu stipulatio, quod præcessit inter habentes impedimentum, manifestat eos conuenisse tali intentione, Cum nullum sit impedimentum, matrimonium est validum. Et a fortiori tenentes, vt probabile reputamus, vicem habere sponsalium, & teneri ad promissum adimplendum: per copulam subsecutam matrimonium, legitimum est pactum, & in casu ille affectus habet locum consensus. Sed hæc olim vera, modo tamen post concilium Tridentinum ad essentiam matrimonij, requisitum est, quod sit præsens minister, & testes, & consensus intelligatur.

Ad argumentum in principio positum, ex dictis patet solutio. Nō enim est contra conc. Trid. stipulatio fieri inter cognatos de contrahendo matrimonium, si Papa dispense, in illis gradibus in quibus contingat dispensatio. Ob id, & clā, & corā testibus iniri potest pactum, & posita conditione, obligatio manet. Ac si essent sponsalia inter personas alias legitimas, ad sensum in conclusionibus explicatū. Esset promissio nulla, & recedere possent a promisso, si fieret inter cognatos, in primo gradu aut inter personas plebeas, quia id difficulter haberi potest vt in sancta Synodo Tridentina est declaratum. Et similiter, si quis sacris initiatus, matrimonium promitteret, si Papa dispense. Quia, & si aliquando sit dispensatum, vt in nostris diebus vidimus, id tamen raro, & tam rarum, vt fere nunquam fieri dicatur. Et vt diximus in tertia conclusione, ab huiusmodi pactis abstinendū omnino est. Atque in istis magister Soto est audiendus. & c.

¶ Quod si forte quis contra prædicta obijciat illos, qui sic stipulantur, & adinuicem fidem darent de matrimonio futuro, si Papa dispense, in excommunicationem incidere latam contra eos, qui scienter in gradibus prohibitis contrahunt. & c. ex Clem. vnica de consangu. & affin. Solutio est tales non incidere, quia solum est contra eos, qui contractum celebrant simpliciter, & absolute in gradibus prohibitis; Secus quando sub conditione, vt in casu disputamus, &

K sic

Innoc. & Abba. c. in per eo.

Syluest. verbo. matrimonium. 3. q. 3. Loazes tracta. de matri. 12. dubi.

Soto.

Ad argumentam.

missio etiam in gradibus prohibitis.

Soto.

Instantia.

sic intellexit Adrianus, in loco citato, & Couarru. in dicto nu. 7. & Soto in loco supradicto.

Appendix
ad art. 15.
in 1. par.

Circa illa, quæ in articulo 15. dicta sunt, quod ille qui contraxit post votum simplex mortaliter peccat consummando matrimonium, ea ratione, quia se ipsum impossibilitat ad implendum votum, quia posset post contractum matrimonium, ante consummationem adimplere, religionem ingrediendo, & profitendo; & esset matrimonium dissolutum. cap. presbyteris. d. 27. & c. insinuante qui clerici, vel vouentes. Verum, & si conclusio, simpliciter ab omnibus concedatur, quantum ad hoc, quod ille qui post votum contrahit, mortaliter peccet, quo ad consummationem tamen sunt qui distinctionem faciant. Nam si votum simplex religionis sit, videtur quod non solum, qui post huiusmodi votum religionis contraxit, mortaliter peccet contrahendo, sed etiam mortale sit consummare, at si solum votum sit simplex castitatis, vel votum sit initiandi sacris, quamuis mortale sit contrahere post huiusmodi votum, non tamen videtur mortale consummare. Et ratio discriminis, hæc est. Quia iste qui vouit solum castitatem post contractum matrimonium consummando, ideo peccaret mortaliter: quia potest adhuc votum adimplere, ingrediendo religionem, & profitendo: & quia ponit obstaculum consummando peccat mortaliter, sed non videtur, quod talem & tam grauem, teneatur subire pœnam ingrediendi religionem contra voluntatem, quia licet sit Deo seruire (& consequenter regnare) quo ad seculum grauis seruitus existimatur. Et similiter, q̄ non teneatur sacris initiari, qui vouit ordinari, sed sat sit pœnitere de contracto matrimonio.

Soto in 4.
d. 38. q. 2.
art. 1.

Quando nõ
est mortale
cõsumma
re matrimo
nium
post votu
simplex.

¶ Et quidem rationabilis satis hæc consideratio videtur, & nõ tã absolute, Verum in vniuersum existimandum consummare matrimonium post simplex votum, mortale esse, vt communiter doctores affirmant, & adducit Syluester, in verbo matrimonium. 7. q. 5. Et ob id quæ nos diximus de consummatione matrimonij post votum simplex, de voto simplici religionis, intelligi volumus, quia talis post contractum matrimonium potest ingredi, antequam consummet, sed qui solum castitatem vouit, non videtur, sic obligatus ad ingrediendum religionem, & profitendum, quia nimis graue esset.

¶ Ex istis summi potest argumentum ad opinionem propositum fulciendam, vt posito quis consummat matrimonium post simplex votum, non solum reddere debitum possit, vt in cap. quidam, & cap. placet de conuersione coniugatorum, sed etiam possit exigere, vt ex iuris peritis Hostien. & Cardinali, & glo. in c. si quis post votum. 27. q. 1. Nam & si theologorum opinio communis in contrarium sit, Iuris peritis in interpretatione sacrorum canon. maxime fides adhibenda est, & pie amplecti hanc opinionem decet, & vt alias dictum, est etiã

si opinio

si opinio communis (quæ Theologorum est) vera sit, vt petere non possit, qui obnoxius voto simplici est, Per Episcopum dipensari potest, vt petere valeat, sicut & reddere, & quod qui post votum simplex religionis, vxorem ducit possit exigere sicut, & petere omnes fatentur etiam Theologi, quia ad castitatem, solum tenebatur in statu religionis, & non alias, vt dictum ex supra.

Sot. vbi supra.

VNum tamen leue dubium sese effert, posito quod vera esset contraria opinio, quæ tenet post confirmationem matrimonij non posse petere, absque mortali; dubium inquam est, an in tali casu si exigat, an alter sciens, huiusmodi votum, & putans in exigendo mortaliter peccare, teneatur, ei reddere.

Dubium.

¶ Videtur, quod non possit, neque debeat reddere, quia cuilibet mandauit Deus de proximo suo, & quilibet tenetur non cooperari alteri ad peccatum, quia digni sunt morte non solum qui mala faciunt, sed etiam, qui consentiunt facientibus, sed qui redderet iniuste petenti, cooperatur ad id, ergo non debet reddere.

Ad Ro. 1.

Respondetur nihilominus in casu, dato, quod Petrus, post simplex votum religionis contraxit, & consummaui, & peccauit contrahendo, & consummando, & peccat exigendo, licet reddere teneatur, tamen Maria eius legitima coniux, reddendo debitum huic petenti non peccat, quamuis ipse Petrus peccet petendo, probatur. Quia per matrimonium ratum, & firmum, & consummatum, translatio corporum, ad inuicem facta est. Vt teste Paulo vir non habeat potestatem sui corporis, sed fœmina, & contra fœmina, non habeat potestatem, sed vir.

Ad dubiũ.

1. Cor. 7.
& ad Ro. 7

Quia sunt iam duo in carne vna. Si ergo translatio facta est, Maria denegare non potest Petro petenti. Nam si denegare posset, ergo sui iuris est, & suum corpus in potestate: habet, & vera translatio corporum facta non est.

Quod est contra veritatem: sequitur ergo, quod ei negare non potest.

¶ Secundo, si ab aliquo depositum, quod apud se habet petatur, reddere tenetur iure naturæ, quia petit, quod suum est, sed Petrus petens ab vxore debitum, quod suum est, & apud Mariam depositum, petit. Ergo sequitur, quod non potest ei denegare: & tenetur reddere.

¶ Tertio, si vxor, sic iniuste exigenti posset denegare, eo esset, quia & si petat, quod suum est iniuste petit: & ad malum petit, Sed hoc non obstat, patet si quis depositam pecuniam apud alium peteret ad prodige consumendum, vel cum meretricibus, vel alias male expendendo, teneretur depositarius ei pecuniam reddere, etiam si male vsurum certo sciret, ergo etiam in presentiarum. Minor manifeste probatur, quia liberi arbitrij est, & in manu consilij sui relictus est, & si hæc ratione prælationis, vel alia peculiari obedientia ei commissum

K 2 non

non est; non spectat ad depositariū ea ratione negare, quia malum vsum scit certo, quia vitare id non tenetur ex officio. &c. Secus si depositum peteret ad interficiendum se vel alium. &c.

Obiectio. **V**erum contra prædicta posset, quis obiecere si sciret vir quod redditio debiti esset in detrimentum salutis corporalis, posset uxori petenti debitum denegare: ergo poterit a fortiori quando certo scit, id esse in detrimentum salutis spiritualis cum maiori vinculo teneatur, quis ad illa, quæ animam concernunt, quam id illa, quæ solum corpus. Maior est nota, & communiter tenent doctores, ut est quando est timor lepræ, vel alterius infectionis. &c.

Solutio. **H**uius argumentationis consecutio neganda est, quia in casu quando nocumentum corporale est, non tenetur, quis cum tali iactura debitum reddere. Quia sic copiam sui fecit per matrimonium, salva salute proprii corporis in carne vna, & id medium est proportionatū, scilicet debitum denegare in casu, illi fini, scilicet ad sanitatem proprii corporis conseruandam. Sed ad detrimentum spirituale quod interuenit ex eo, quod quis iniuste petit, non est debitum medium, denegare debitum. Imo esset aliorum malorum causa, & incentiuum. Ob id quātumuis peccet in exigendo alter coniugum post simplex votum, qui reddit petenti, non peccat; sed dat, quod apud se depositū fuerat, & sibi imputet, qui male agit exigendo. Et hoc est verum supposito etiam sit votum castitatis emissum, ex vtriusque consensu.

Ad argu. **A**d id, quod in principio adductum est, solutio constat ex dictis, quia etiam si cooperari peccato, ex apostolo non licet, In casu, qui reddit debitum petenti, non cooperatur. Quia est exigens, quod apud alium depositum erat, & suum petit, neque volens cesserat iuri suo, neque incumbit alteri coniugum, cura vitandi peccanti in alio, quia non est medium ordinatum ad id, denegare debitum. &c.

Appendix ad art. 53. de publica honestate. **Circa illa quæ in cap. 3. Huius. 24. sessionis de impedimento iustitiæ publicæ honestatis, occurrit dubium graue quidem.**

An publica honestas oriatur ex matrimonio rato non consummato, sicut oritur ex sponsalibus, an tale impedimentum dicendum sit affinitas, vel non.

Videtur impedimentum, quod ex matrimonio rato oritur non consummato, affinitas dicenda non sit, patet quia affinitas est, quædam amicitia naturalis ortum habens a carnali copula, se in matrimonio rato, non consummato carnalis copula, non est ergo neque affinitas erit, maior est manifesta, ex Aristo. 8. Ethicorum. c. 12. & ibidem S. Tho. lectione 12. Et probatur ex Paulo. 1. Corinth. 6. Et ex. c. nec ea. 35. q. 1. & c. discretionem de eo, qui cognouit consang. vxoris. &c.

Prima

Prima conclusio. Per matrimonium ratum non consummatum, impedi- 1. conclusio
mentum causari, est certissimum.

Patet, quia in iure diffinitum, ut late in Speculo probatū est. Et ratio ad conclusionem est: quia si ex sponsalibus vbi solum futuri matrimonij promissio vinculum, quod publica honestas dicitur, oritur, a fortiori ex coniunctione rata, & firma, ortum habebit. Hæc conclusio apud nullum dubia est, quapropter immorandum non est in probatione.

Secunda conclusio. Impedimentum, quod ex matrimonio rato non consummato oritur, affinitas vocari potest, sicut & vocatur quando consummatum est. Probatur, quia in tali matrimonio est quædam amicitia naturalis, ut diximus ex Arist. & affinitas id importat, ut docet. S. Tho. & alij, sequitur ergo, quod & nomen poterit retinere.

Secundo, maior coniunctio, & amicitia est, per matrimonium ratum non consummatum: quam sit illa, quæ solum ex sponsalibus de futuro: Ergo & maius vinculum erit. Et consequenter maius erit impedimentum. Et non videtur, quod aliud, nisi affinitas, cum medium locum teneat inter consanguinitatem, & iustitiam publicæ honestatis. Sequitur ergo quod sic vocari potest. Discursus manifestus est, & maior, & minor veræ sunt, ergo & conclusio.

Et hac ratione morti graues authores, huiusmodi impedimentum, quod surgit ex matrimonio rato non consummato, affinitatem vocauerunt. Doctor Sanct. in additio. q. 55. art. 4. in solutione ad secundum dicit matrimonium affinitatem causat, non solum ratione carnalis copulæ, sed etiam ratione societatis coniugalis, secundum quam etiam matrimonium naturale est. Vnde affinitas contrahitur ex ipso contractu matrimonij per verba de præsentia ante carnalem copulam. Et similiter ex sponsalibus in quibus sit quædam pactio coniugalis societatis: contrahitur aliquid affinitati simile; ut publice honestatis iustitia. Hæc S. Thom. Idem Abulen. Matth. 18. q. 90.

Tertia conclusio. Impedimentum quod ex matrimonio rato non consummato oritur, iustitia publicæ honestatis vocari potest. Hæc conclusio probatur nam: ex sponsalibus de futuro, tale impedimentum ortum sic vocatur. Vbi consideratur honestas, & decencia, ut eo modo videatur inter consanguineos sponsi, & sponsæ cum altero ipsorum, ac si essent consanguinitate coniuncti. Ergo a fortiori, & hæc eadem iustitia honestatis considerabitur in matrimonio rato, etiam non consummato. Nam propter vnumquodque tale, & illud maius; Sed sponsaliorum honestas ob ipsum matrimonium contrahendum pensatur, & hoc modo vocatur a doctore sub. in 4. d. 41. & consentit Palude ibidem, & Panor. Et Iurisperiti communiter, sic impedimentum ex matrimonio rato non consummato, iustitiā publicæ honestatis vocant.

¶ Quar-

4. conclusio ¶ Quarta conclusio. & si quæstio de nomine videatur, quo pacto vocari debet impedimentum ex matrimonio rato non consummato ortum, cum omnes in re conueniant proprius tamen affinitas dicitur, quam publica honestas. Hæc probatur ea ratione, qua certum est oriri maius vinculum in matrimonio rato non consummato, quam in sponsalibus de futuro, cum hoc via sit ad illud, & minus, quam sit vinculum, quod ex matrimonio consummato oritur, quod dicitur affinitas; sed inter publicam honestatem, & affinitatem, nullum datur impedimentum medium, sequitur vocandum proprius affinitatis impedimentum: quam publicæ honestatis. Quia magis propinquat affinitati propria. Et auctoritas. S. Tho. multum nos mouere debet in hac parte, cum ipse Theologorū Scholasticorum princeps merito sit. Subscribit etiam Abulen. in 18. cap. Matthæ. quæst. 90.

Abulen. Ad argu. **A**D argumentum in contrarium ex dictis patet solutio: nam & si verum sit affinitatem ortū habere ex coniugali copula, vt in iure definitum est, & vt doctores loquuntur, cū potestas ad copulā in matrimonio rato non cōsummato sit: & maior cōtracta sit amicitia naturalis, quam in sponsalibus de futuro, ex hac parte habet, quod cum mediū teneat impedimentum, quod in rato non consummato oritur. Quia talis magis accedit ad veram rationem affinitatis: & magis distet ab impedimento, quod solum sponsalibus oritur, quod publica honestas dicitur. Retineant nomen affinitatis proprius, quam publicæ honestatis. Et secundum hanc considerationem diuersæ opiniones, quoad nomen differentes, concordari possunt, cum medium, nomen extremorum retinere potest.

Appendix ad illaque & de publica honestate, & de affinitate dicta sunt. prima par. **V**erum nunc est magna difficultas in intelligentia capituli. 3. Sessionis. 24. concilij Tridentini, dubium in quam est, an restrictio ibidem facta de gradibus publicæ honestatis ad primum gradum, sit etiam in illo impedimento, quod ortum habet ex matrimonio rato non consummato.

¶ Videtur quod sic: patet, ibidem de impedimento publicæ honestatis diffinitum est quod ultra primum gradum non se extendat, sed impedimentum quod oritur ex matrimonio rato non consummato, in veritate publica honestas est, vt in præcedenti dubio est diffinitum, sequitur ergo, quod solum in primo gradu tenet. Hoc dubium, ita est dubium, vt merito sit à doctis dubitatum, & in diffinitum relictum. Qua propter rationibus, & coniecturis agendum est in dubij resolutione.

1. conclusio **P**rima conclusio. Probabile apparet in impedimento, quod oritur ex matrimonio rato non consummato (quod publica honestas est) restrictionem factam in concilio Tridentino, vt ultra primum gradum non se extendat. Quia ibi dicitur in hæc verba, Iustitiæ publicæ honestatis

nestatis impedimentum, vbi sponsalia quacunque ratione valida non erunt. Sancta Synodus prorsus tollit: Vbi autem valida fuerint, primum gradum non excedant. Tunc est argumentum, restrictio ad primum gradum in impedimento publicæ honestatis facta est, & non in affinitate, neque in consanguinitate; Sed impedimentum quod ex matrimonio rata non consummato oritur, consanguinitas non est, neque affinitas proprie, Sed publica honestas vocatur, ergo in tali impedimento est facta restrictio, ita vt si dissoluatur matrimonium ratum, per religionis ingressum, possit relicta, ducere in virum consanguineum proprii viri, in secundo gradu, & e contra, si fœmina profiteatur religionem, vir relictus possit consanguineam vxoris ducere.

¶ Secunda conclusio. Probabilius apparet, & merito tenendū impedimentū ortum ex matrimonio rato non consummato, restrictū nō esse ad primū gradum: sed manere in illo statu in quo erat ante conc. Trid. determinationē. Probatur, si restrictio facta est esset in hoc impedimentō ad primum gradum, solum eo esset, quia cōciliū determinauit, Sed ex concilij verbis non probatur. Patet, quia ibi dicitur, quod publica honestas ex sponsalibus orta, restringitur ad matrimonium ratum, non consummatum, sponsalia non sunt neque dicuntur. Ergo de eis, non determinat sancta Synodus. Maior est nota, & probatur minor: quia sponsatio, futuram dicit coniunctionem: & non actu traditionem, quæ traditio in matrimonio rato non consummato intelligitur.

¶ Secundo, sic potest firmari ratio, vbi sponsalia non sunt restrictio non est facta: sed in matrimonio rato non consummato, sponsalium non est: patet quia nihil de futuro, sed est traditio vera realis in præfenti, Vt iam vir non habeat potestatem sui corporis, sed fœmina: neque fœmina sui sed vir. Vt docet Paulus ad Roma. 7. & 1. Corin. 7.

¶ Tertio odia sunt restringenda, & fauores ampliandi iuxta iuris regulam, sed odiosissimum est ad primum gradum restringere hoc impedimentum: cum ergo solum in sponsalibus loquatur restrictio, ad matrimonium ratum extendi non debet.

¶ Quarto probatur ex ratione posita in concilio sic, vbicunque ratio legis cessat, videtur & lex cessare, cum ratio legis sit anima legis; Sed ratio legis cessat in matrimonio rato non consummato, patet quia ibi datur ratio restrictionis factæ in concilio, quoniam in vterioribus gradibus iam non potest huiusmodi prohibitio absque dispendio obseruari, Sed in matrimonio rato in facie ecclesiæ contracto, constare potest, & gradus facile cognosci possunt, quod non sic in sponsalibus de futuro, Sequitur ergo quod cum ratio legis in matrimonio rato cesset, & non sit in sponsalibus, quod restrictio facta in sancta Synodo intelligenda est de sponsalibus de futuro: & non in matrimonio de præfenti non consummato per copulam carnalem.

¶ Quinto,

2. conclusio

C. de legatus, l. non dubium & l. cū patet & c. generaliter. 16 q. 1. & cap. post translationem de renunciationibus.

¶ Quinto, quia si in sancto Concilio talis restrictio posita, de matrimonio rato, intelligenda esset, absque dubio magna facta esset in ecclesia relaxatio, quod indignum tanto concilio videtur, cum ad ædificationem, & constructionem à Deo data sit, Sed quod sequeretur pater, quia posset quis uxorem patruelis sui absque dispensatione ducere quod in lege veteri non permittebatur, vt patet, Leui. 18.

3. conclusio

¶ Tertia conclusio. & si hoc impedimentum, quod in matrimonio rato, non consummato oritur publica honestas dici posset, cum proprius affinitas vocatur, vt supra probatum est, Manet gradus prohibiti, sicut in affinitate propria, vbi copula carnalis præcessit. In hac conclusione volumus supradicta clari us explicare, vt intelligamus doctorem. S. & ei subscribentes, sapienter satis loquutos, quando hoc impedimentum (in matrimonio rato, non consummato ortum est) affinitatem vocarunt: & non publicam honestatem, vt restrictio facta circa publicam honestatem, manente integra lege affinitatis (ex copula licita sequuta) non de impedimento hoc intelligatur: sed solum de sponsalibus, quæ mere sponsalia sūt: & per verba de futuro celebrātur.

¶ Et rationes factæ ad secundam conclusionem probant eam.

4. conclusio

¶ Quarta conclusio. Ex istis sequitur intra quartum gradum, inter con sanguineos coniugatorum, in matrimonio rato non consummato, cum nullo coniugum stare posse matrimonium absq; summi Pontificis dispensatione. Hæc patet ex dictis: nam si verum est restrictionem in hoc impedimento in concilio Tridentino non factam fuisse: sed solum in sponsalibus de futuro, manent gradus prohibiti, sicut erant ante concilium, sed ante celebrationem concilij Tridentini non poterant tales intra quartum gradum copulari absque dispensatione, ergo neq; modo possunt. Et sic posito quod Petrus cum Maria contraxit matrimonium per verba de præsentis, & dissolueretur matrimonium, Nullus consanguineus Petri intra quartum gradum posset Mariam ducere sine dispensatione. Neq; consanguineus Mariæ intra quartum gradum posset Petro coniungi similiter. Secus esset si solum essent sponsalia de futuro. Hæc dicta sint vsque dum per ecclesiam, aliud sit diffinitum, aut declaratum.

Ad argumentum.

¶ Ad argumentum in contrarium ex dictis solutio constat: nam & si impedimentum ortum ex matrimonio rato non consummato, stricte, & proprie affinitas non sit maxime tamen ad eam accedit. Ex qua parte habet, quod sicut in affinitate contracta ex copula licita, non est, in sancta Synodo Tridentina restrictio facta similiter non sit facta in contracta ex matrimonio rato non consummato. Et quia sancta Synodus solum restringit, vt ex verbis expressis apparet, impedimentum ortum ex sponsalibus: & matrimonium ratum sponsalia proprie non sunt: neq; vocantur (cum sponsalia futuram promissionem dicant) sequitur

sequitur inquam hoc impedimentum in matrimonio rato non consummato manere eo modo, quo ante erat.

FINIS.

Sequuntur priuilegia ad literam, de quibus mentio expressa facta est in hoc opere, concessa a Leone decimo & Adriano sexto, pro conuersione Incolarum noui orbis, & manutenentia in fide Catholica, & ultimo ponitur confirmatio facta per sanctissimum Papam Pium quintum ad instantiam potentissimi Regis Hispania. Philip. 2.

LEO Decimus, dilectis filijs Ioanni Glapio, & Francisco de Angelis, Ordinis Minorum de Observantia professoribus.

REO Papa decimus. Dilecti filij salutem, & Apostolicam benedictionem. Alias Fe. re. Nicolaus 4. & Ioannes 22. & Urbanus 5. & Eugenius 4. & alij R. Pontifices prædecessores nostri, debita meditatione considerantes, quo vestri ordinis munda religio, a Christo Domino exem-

Leo X. priuilegium.

plis ac verbis Apostolicis a suis tradita, ac B. Francisco eum sequentibus inspirata fuerit, ac quod nonnullos eiusdem ordinis professores in Christi fidei propagatione ad infidelium partes, cum iam apostoli in orbe non existant destinare, opus esse prout, & B. Franciscus suo tempore actualement fecit mentionem, vt in vinea domini fructuosos palmites producerent, nonnulli vestri ordinis, tunc expressis fratribus, vt in infidelium terris, tunc designatis, existerent, quod Dei verbum proponere, & constitutis, ibidem non obstante, si eorum alij excommunicationis censura ligati essent, quoscunque ad vnitatem fidei Christianæ conuertere cupientes, recipere, baptizare & ecclesiæ filijs aggregare, & hi ex dictis fratribus, qui in sacerdotio constituti essent, pœnitentiæ, Eucharistiæ, extremæ vntionis, aliq; ecclesiastica sacramenta personis præmissis ministrare, & exercere, necnon, & in casu necessitatis, Episcopis in prouintia non existentibus confirmationis sacramentum & ordinationem, vsq; ad minores ordines fidelibus ministrare, capellas, & altaria, calices, & paramenta ecclesiastica benedicere, & ecclesias reconciliandas, vel cimiteria reconciliare, & eisdem de idoneis ministris prouidere, eisq; indulgentias, quas Episcopi, in suis diocesis, concedere solent, impartire, & alia quæcunq; facere, quæ ad augmentum diuini nominis, & ad

L conuer-

conuersionem ipsorum infidelium populorum, & amplificationem fidei orthodoxæ, & reprobationem, & irritationem illorum, qui sacris traditionibus contradicunt, sicuti pro loco, & tempore viderint expedire valeant, & possint, nec non uti oleo sancto, & Chrismatæ antiquis, vsque ad tres annos, cum in eisdem partibus nouum oleum, & balsamum, sine difficultate magna haberi non possit, libere, & licite valeant, nec non aggregatos eosdem, ubi Episcopi non habentur clericali insignire caractere, & ipsos ad minores ordines promouere liceret, & sedis apostolicæ sententia excommunicationis irretitis, absolutionis beneficium, iuxta formam ecclesiæ impartire, & qui de gentibus schismaticis, vel alias nouiter, essent conuersi dandi licentiã, ut uxores suas cum quibusuis gradibus à lege diuina non prohibitis contraxerunt, retinere valeant, & de causis matrimonialibus, quas in partibus illis ad audientiam nostram deferre deberent, legitime cognoscendi, & discordantes inter se concordare, ac etiam eisdem fratribus, licitum esse omnium fidelium in terris prædictis, confessiones audire, Ipsis iniungere pœnitentias salutares, & vota commutare, & excommunicatos à canone, vel alio modo iuxta ecclesiæ formam absolueri, dummodo iniuriam, aut damna partis, iuxta possibilitatem satisfacerent, ubi eos hospitari contigerit missas & diuina officia, cum solita solemnitate celebrare, & si in eisdem locis vitæ necessaria ieiuniorum tempore commode haberi non possent, ad prædicta ieiunia, eosdem fratres minime teneri declarare, cum eisdem misericorditer dispensantes, ut de suis laboribus fructum reportarent, Fratribus prædictis vere pœnitentibus, & confessis, illam indulgentiam concesserunt, quam proficiscentibus in subsidium terræ sanctæ sedes apostolica concedere consuevit, ac etiam omnibus, vtriusque sexus fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, qui ecclesias, & loca fratrum vestri ordinis, in partibus præmissis constituta, & in posterum constituenda, singulis diebus, quibus visitarent causa deuotionis, seu elemosynas faciendi, ipsis de iniunctis, sibi pœnitentijs centum dies misericorditer relaxarent, qui que eisdem fratribus auctoritate Apostolica concesserunt, ut in Ciuitatibus, & Castris, Villis, seu locis, quibuscunque ad habitandum domos, & loca quæcunque recipere, seu hæctenus recepta mutare, seu venditionis permutationis, aut cuiuscunque donationis titulo, in alios transferre valerent, ac insuper, ut omnes, & singuli vestri ordines professores, qui eodem succensi zelo, ad ea loca cum fratribus prædictis transire voluissent, omnibus, & singulis præmissis gratijs, & mandatis gaudere licite & libere possint, prout eisdem fratribus, & eorum cuiuslibet coniunctim, vel diuisim prædictorum vita, tunc pro tempore indultum esse, vel concessum, nec non fugientes à sæculo in ordinem prædictum recipere, ac omnia,

omnia, & singula facere, quo ad ea quæ dicti ordinis concernerent professionem, & religionem, ac ministri generalis, & prouincialis, & officia, & indultis Apostolicis facere possint, prout in eorum prædecessorum desuper confectis literis latinis enarretur. cum autem sic accepimus, vos, quorum zelus, Deo animas lucrum facere, & pro vestræ operationis industriam, & sollicitudinem, diuina opitulante gratia adulterinas plantationes diuellere, ac in messe domini virtutes inserere, ac vitia radicitus extirpare, & humanum genus, ad cognitionis, & salutis remitam reducere, ac Indianas insulas, aliasq; prouincias Charissimi in Christo filij nostri Caroli Hispaniarum, & Roman. Regis Catholici Imperatoris electi, dictioni subiectis, & illis propinquis terras, ubi homines veritatis fidei cognitionis carent consideratis, & visis verbum fidei seminando huiusmodi sanctis actionibus vos exercere de superiorum vestrorum licentia intendatis. Nos tam sancto, & hominibus, huiusmodi pro eorum salute animarum necessario opere desiderio laudabiliter annuere volentes, motu proprio, & certa scientia, ac potestatis plenitudine vobis, & vestrum cuiuslibet, & ad vitam vestram, a vobis quatuor deputatis, uti potiri, & gaudere, prout superius explicatur libere, & licite valeatis concedimus, & indulgemus. Volumus aut, quod ea quæ ad Episcopalem ordinem, ad dignitatē duntaxat pertinent vigore præsentium, nullus vestrum exercere possit nisi in prouincia, ubi catholicus antistes non fuerit in illis locis Pontificalia, solum per Episcopos exercere valebunt. Quo circa vniuersis, & singulis, Patriarchis, Episcopis, Archiepiscopis, cæterisque prælatis in dignitate constitutis, nec non omnibus, & singulis, tam clericis, quam laicis ordinum quorumcunque professoribus, sub pœna excommunicationis lætæ sententiæ, maledictionis æternæ, a qua non nisi per nos, seu de nostro, sed dicti ministri consensu possint absoluti, firmiter inhibemus, ne vos, aut verum aliquem ad vitã vestrã, seu, deputandos fratres prædictos a vobis, vel a ministro ordinis prædicti in præmissis seu præmissorū, aliquid directe, vel indirecte per se, vel per aliū quouis quæsito colore impedire præsumat, quocunque a quouis aliter attentatū fuerit, etiã prætextu quarumcunque literarum apostolicarū, a sede apostolica concessarum, seu ad futurū concedendarum, nisi in eisdem literis præsentibus de verbo ad verbū insertæ fuerint specialiter, vobis reuocari, irritum sit pœnitus, & inane, declaramus, & nunc pro ex tunc non esset vestræ intentionis, nec in futurum fore in præmissis, dum illis sanctæ, pro tēpore intenderetis vobis impedimentum, seu detrimentum asserre. Non obstante prohibitione. F. R. Bonifatij. P. prædecessoris nostri, quo cauetur, ne aliquis, vel aliqui de fratribus prædicatoribus, & minoribus, & alijs mendicantibus quibuscunque super hoc priuilegijs muniti existerent, prædicta

dicta præsumant absque sedis Apostolicæ licentia speciali, quæ plenâ expressam facerent de huiusmodi prohibitionem mentionem, nec non constitutionibus, & ordinationibus, ac decretis, tam a sede Apostolica, quam a concilijs generalibus, quam specialibus & si in eis caueretur, quod ipsis derogari non possit, nisi specialis, & expressa mentio de illis haberetur. Datis Romæ, apud S. Petrum, sub annulo piscatoris die 25. Aprilis. 1521. Pontificatus nostri, Anno nono.

Adriani 6. priuilegium.

Adriani
6. priuilegium.

ADRIANVS SEXTVS. Charissimo in Christo filio nostro Karolo Romanorum Regi, & c. Hispaniarum Regi Catholico Imperatori electo.

Charissime in Christo fili noster salutem, & apostolicam benedictionem. Exponi nobis fecisti tuum flagrans, desiderium, ad augmentum Christianæ religionis, conuersionisque fidelium illorum præsertim, qui Christo duce, tuæ ditioni sunt subiecti in partibus Indiarum: a nobis, quam instanter petisti, ut ad effectum huiusmodi augmenti, & conuersionis, & debitæ gubernationis animarum, quas Redemptor noster, sui pretiosi sanguinis commertio redemit, prouideremus, quatenus ex omnibus religionibus fratrum medicantium, fratrum minorum præsertim regularis obseruantia, aliqui ad præfatas partes Indorum authoritate nostra transmitterentur, aliasque in præmissis prouiderentur, sicut in petitione nobis desuper oblata, plenius contineretur.

¶ Nos autem, qui ex iniuncta nobis cura pastoralis, ad ea quæ attinent ad salutem animarum intendere, super omnia tenemur, qui que feruentissimum zelum tuæ Cæsareæ maiestatis, ad augendam Rēpublicam Christianam, a tēneris annis plenissime cognouimus: tam sanctum, ac laudabile opus in domino commendantes, & desuper prouidere volentes, huiusmodi supplicationis inclinati, tenore præsentium ordinis minorum regularis obseruantia, a suis prælatis nominatis, qui diuino spiritu ducti ultro, ac sponte voluerint ad partes Indiarum præfatarum, causa conuertendorum, & instruendorum infide prædictorum Indorum, se transferre, & libere possint, & valeant, dum tamen sint talis sufficientia in vita, & doctrina, quod tuæ Cæsareæ maiestati, aut tuo regali consilio sint grati, ac tanto operi idonei. Superque conscientias suorum superiorum, qui nominare, ac licentiare habent oneramus; ac ut ita in sancto opere meritum obseruantia non desit, omnibus qui ut præfertur, nominati fuerint, & se sponte obtulerint ad meritum obseruantia præcipimus, ut

præ-

præfatum iter, & opus, ad exemplum discipulorum Christi domini nostri exequenti, pro certo sperantes, ut sicut in labore eos imitati fuerint, ita, & in præmio eis sociabuntur, præfatisque fratribus nostram apostolicam benedictionem libentissime impartimur, ex nunc. Sed ne forte numerus fratrum, huiusmodi sit tantus, ut pariat confusionem, volumus, ut tua sacra maiestas, aut tuum regale Consilium assignet, & præfigat numerum fratrum mittendorum: tales autem fratres nominatos, seu licentiatos ab eorum superioribus strictè præcipimus sub excōicationis pœna ipso facto incurrenda, ne aliquis inferior audeat, aliquid impedire, & si pro tunc essent in officij cōfessionis, prædicationis, lectionis, guardianatus costodiatu, ministeriatu, prouintialatu, aut cōmissariatu generalis, quibus nō obstantibus transire possint, & debent eligere duos, vel tres aut plures, qui in dictis terris eis præsent, eo modo, quo eidem, seu maiori eorum parti melius visum fuerit, qui sic electi per triennium, aut aliud maius, aut minus tempus, iuxta suas constitutiones prout in Hispania fieri consuevit, prælationis huiusmodi habeant, & non ultra, nec alias obtineant. Qui omnes semper in obedientia generalis ministri, & capituli generalis, sint dummodo nil eis imponat in præiudicium dicti transitus, & conuersionis infidelium decernens quicquid absque nostro mandato expresso, & assensu super his attentatum, fuerit nullius esse momenti. Et quia præfata terra Indorum valde distat a partibus, ubi minister generalis degere, & incedere consuevit, ac propterea difficile foret ad eum recurrere in casibus ad eum pertinentibus, volumus ac tenore præsentium concedimus, ut fratres qui pro tempore assumuntur ad regimen aliorum fratrum in prædictis terris Indiarum, habeant in utroque foro super fratres sibi commissos, omnem authoritatem, & facultatem: quam generalis minister, sub cuius obedientia semper manere debent, possit præfatum authoritatem limitare, ac arctare, prout ei visum fuerit, & insuper, ut melius præfata conuersio fieri valeat, & saluti animarum in præfatis terris Indorum, pro tempore degentium prouideatur, volumus, ut tenore præsentium de plenitudine potestatis concedimus, ut præfati prælati fratrum, & alij quibus, ipsi de fratribus suis, in dictis Indijs commorantibus duxerint committendum in partibus, in quibus nondum fuerint Episcopi creati, vel fuerint, tamen infra duarum dierum spatium, ipsi vel officiales eorum, inuenire minime possint, tam quo ad fratres suos, & alios cuiuscunque ordinis, ibidem fuerint, ad hoc opus deputati, ac super Indos ad fidem Christi conuersos, & alios Christicolos ad dictum opus eosdem committentes: omnimodam authoritatem nostram in utroque foro habeant, tantam quantum ipsi, & per eos deputati de fratribus suis, ut dictum est iudicauerint.

dicaerint oportuna, & expedientem pro conversione dictorum Indorum, & manutatione, ac profectu illorum, & aliorum præfatorum, in fide Catholica, & obedientia sanctæ Romanæ ecclesiæ: & quod præfata autoritas extendatur etiam, quo ad omnes actus spirituales exercendos, qui non requirunt ordinem Episcopalem, donec per sedem apostolicam aliud fuerit ordinatum, & quia ut accepimus, per præfatos prædecessores nostros Romanos Pontifices, aliqua indulta concessa fuerunt fratribus existentibus, euntibus, aut ire procurantibus, in dictis, & ad dictas Indiarum partes, nos omnia illa confirmando, ac quatenus opus esset, de nouo concedendo, volumus, ut præfati prælati fratrum pro tempore existentes, & quibus ipsi de suis fratribus duxerint concedendum; Omnibus prædictis indultis in genere, aut in specie hætenus concessis, & in posterum concedendis uti, potiri, & gaudere libere, & licite possint, & valeant. Habentes omnia pro sufficienter expressis, tanquam si de verbo ad verbum infererentur, non obstantibus constitutionibus, & institutionibus apostolicis præsertim Sixti quarti incipienti, & si dominici gregis. &c. Ac bulla cænæ domini, cæterisque contrarium facientibus quibuscunq; Datis Cæsaraugustæ sub annulo piscatoris, die nono Maij. 1522. Suscepti a nobis apostolatus officij, anno primo. &c.

Privilegium Pij Quinti Pontificis.

In fauorem Ordinum habitantium in nouo Orbe.

AT ERGO: CHARISSIMO IN CHRISTO

Filio nostro Philip. Hispa. Regi Catholico.

Intus vero.

Privilegium Pij Quinti.

DIVS PAPA QVINTVS. Charissime in Christo filius noster, salutem, & apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecit tua Maiestas Regia, quod iuxta sacri œcumenici concilij Tridentini decreta, nulla matrimonia, nisi præfente Parocho, aut de illius licentia contrahi, nullusq; religiosus, absque Episcopi licentia verbum Dei prædicare, ac secularium personarum confessiones audire, Episcopi vero nouas parochias, in locis ab inuicem longe distantibus constituere possint. Quia tamen in partibus Indiarum maris Oceani religiosi, propter presbyterorum defectum, hætenus officio parochi functi fuerunt, & id quod ad conversionem Indorum attinet exercuerunt, & exercent. Ex quo

quo non modicos, sed maximos fructus, etiam verbum Dei eisdem Indis prædicando, & explicando, ac confessiones audiendo, ad fidei catholice propagationem fecerunt: dicta Maiestas tua nobis humiliter supplicari fecit quatenus ipsis Religiosis, ut illi, ad vberiores fructus in dicta conversione Indorum, reportandum, incitentur, in locis eis assignatis, & assignandis: officium Parochi, matrimonia celebrando, & sacramenta ecclesiastica ministrando prout hætenus consueuerunt; exercendi, & ab eorum superioribus in capitulis prouincialibus obtenta licentia; verbum Dei prædicandi, & secularium confessiones, de suorum superiorum licentia audiendi, facultatem concedere, aliasq; in præmissis, opportune prouidere de benignitate apostolica dignemur.

NOS igitur, qui singulorum præsertim catholicorum Regum votis, ad diuini cultus augmentum, & animarum salutem tendentibus libenter annuimus. Huiusmodi supplicationibus inclinati. Omnibus, & singulis religiosis, quorumcunq; etiã mendicantiũ ordinum in dictis Indiarũ partibus, & in eorundẽ ordinũ monasterijs, vel de illorum superiorum licentia, extra illa commorantibus. Ut in locis ipsarum partium eis, de simili licentia assignatis, & assignandis, officium Parochi, huiusmodi matrimonia celebrando: & ecclesiastica Sacramenta ministrando: pro ut hætenus consueuerunt: (dummodo ipsi in reliquis solemnitatibus, dicti concilij formam obseruent) exercere. Et verbum Dei, ut præfertur, quatenus ipsi religiosi Indorum illarum partium idioma intelligant: De suorum superiorum licentia, ut præfertur, in eorum capitulis prouincialibus obtenta: prædicare ac confessiones audire: Ordinariorum locorum, & aliorum quorumcunq; licentia minime requisita, libere, & licite valeant: licentiam & facultatem auctoritate Apostolica, tenore præsentium, concedimus, & indulgemus; & insuper, ne in locis illarum partium, in quibus sunt monasteria religiosorum, qui animarum curam exercent: aliquid per prædictos Episcopos innouetur, eadem auctoritate, & tenore statuiamus, & ordinamus. Sic per quoscunq; Iudices, & Cõmissarios, quauis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorũ cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & diffiniri debere. Ac quidquid secus super his, a quocunq; quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter attentari contingerit: irritum & inane decernimus. Mandantes nihilominus, dilectis filiis curiæ causarum cameræ Apostolicæ Generali auditori, & beatæ Mariæ de Mercede, ac del Carmen, extra & intra muros Hispalensis, monasteriorum, per Priores gubernari solidorum, Prioribus: quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium seu alios: eisdem religiosis in præmissis, efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant: eis, & eorum quemlibet, confessionis

sione, indulto statuto, & ordinatione, ac alijs præmissis, pacifice frui & gaudere. Non permitentes eos per locorum ordinarios, & alios quoscunque contra præsentium tenorem quomodolibet molestari; perturbari, aut inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles, per censure ecclesiasticas, ac etiã pecuniarias penas, eorũ arbitrio moderandas, & applicandas; appellatione postposita compefcendo. Ac censuras ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando: interdictum ponendo, inuocato ad hoc, si opus fuerit auxilio brachij secularis. Non obstantibus præmissis ac quibusuis apostolicis, ac in prouincialibus, ac Synodalibus concilijs editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac monasteriorum, & ordinum prædictorum, iuramento confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus priuilegijs, quoque indultis, & literis apostolicis monasterijs, & ordinibus prædictis eorumq; superioribus, & personis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, in contrarium quomodolibet concessis approbatis, & innouatis. Quibus omnibus etiam si pro illorum sufficiente derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus, specialis specifica, & expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret: Tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in eis tradita obseruata: inserti forent præsentibus pro sufficienter expressis habentes: illis alias in suo robore permanuris, hac vice duntaxat, specialiter, & expresse derogamus. Contrarijs, quibuscunque aut si aliquibus communiter, uel diuifim ab eadem sit sede indultum, quod interdicti suspendi, vel excommunicari non possint, per literas apostolicas, non facientibus plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto, huiusmodi mentionem. Et quia difficile foret præsentibus literas ad singula quæque loca in quibus de eis fides forsam facienda foret, deferre: etiã volumus, & eadem autoritate apostolica decernimus: quod illarum transumptis, manu notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, in iudicio & extra, ubi opus fuerit: eadem prorsus fides adhibeatur: quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ, Dat. Romæ, apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die vigesimaquarta Martij. Anno millesimo, quingentesimo, sexagesimo septimo. Pontificatus nostri. Anno secundo.



F. de Torres.